


ÆSCHYLI

TRAGŒDIÆ

EX EDITIONE STANLEII

LATINE REDDITÆ

ET

AD EDITIONEM GRÆCAM SCHUTZII

ACCOMMODATÆ.

OXONII,

IMPENSIS D. A. TALBOYS: ET G. ET W. B. WHITTAKER,

LONDINI.

MDCCCXIX.

EXCUDEBAT W. BAXTER, OXON.

PROMETHEUS VINCTUS.

DRAMATIS PERSONÆ.

ROBUR ET VIS.
VULCANUS.
PROMETHEUS.
CHORUS NYMPHARUM OCEANITIDUM.
OCEANUS.
IO FILIA INACHI.
MERCURIUS.

PRÆFATUR VIS ET ROBUR.

Scena Fabulæ in Scythia constituitur ad montem Caucasum.

PROMETHEUS VINCTUS.

ROBUR ET VIS, VULCANUS, PROMETHEUS.

ROBUR ET VIS.

IN extremum quidem venimus terræ solum,
Scythicam in viam, aviam in solitudinem:
Tibi vero Vulcane oportet curæ esse mandata
Quæ tibi pater commisit, hunc ad petras
Præcelsas facinorosum ut constringas
Vinculorum adamantinorum firmissimis pedicis.
Tuum enim decus, ignis omnium artificis jubar,
Mortalibus furatus præbuit; hujusmodi autem
Delicti oportet ipsum diis pœnas expendere,
Ut discat Jovis imperium colere,
Et desistere a studio erga homines benevolo.
VUL. Robur, et Vis, quoad vos quidem mandatum Jovis
Est expeditum, nihilque vobis amplius impedimento est;
Ego autem non sustineo cognatum deum
Alligare per vim, rupis ad hunc recessum tempestuosum.
Nihilo secius tamen necesse est ut ad hæc me obfirmem.
Negligere enim mandata patris grave est.
Themidis rectæ-consultricis fili altum-sapiens,
Invitum te invitus tenacibus ferramentis
Compingam ad hanc inhospitalem crepidinem,
Ubi nec vocem, nec cujusquam mortalium formam
Videbis, sed tostus fervida solis flamma
Coloris mutabis florem, quin cupido tibi
Nox variegata occultabit lucem,
Pruinamque matutinam rursus sol dissipabit;
Semper autem præsentis mali molestia
Te cruciabit: quia qui compescat ista nullibi est
Hunc igitur fructum cepisti tui in homines amoris.
Deus enim haud veritus iram deorum,
Mortalibus ultra fas divisisti dona:
Quapropter hanc inamabilem custodies petram
Erectus, insomnis, non flectens genu.
Plorationes autem et luctus multos inutiles

Ejulabis. Jovis enim animus placatu difficilis est:
Rigidus vero omnis qui modo cœpit imperare.
ROB. Siet: quid tu cunctaris, et frustra misereris?
Cur non istum diis invisissimum odisti deum,
Qui tuum hominibus prodidit munus?
VUL. Sed nimirum magnam vim habet cognatio et consuetudo.
ROB. Fateor; at repugnare mandatis patris
Quo potis es modo? annon hoc metuis magis?
VUL. Imo tu semper immisericors et audaciæ plenus.
ROB. Quippe hunc deflere nullum est remedium.
Proinde tu ne frustra agas quæ nihil prosunt.
VUL. O multum exosa manuum solertia.
ROB. Quid eam detestaris? nam, ut paucis dicam quod res est,
Præsentium malorum nullo modo ars ipsa causa est.
VUL. Utinam tamen quis alius eam accepisset.
ROB. Omnia sunt diis concessa præterquam imperare.
Nam nullus est liber nisi Jupiter.
VUL. Novi, neque his habeo quod dicam contra.
ROB. Quin ergo festinas vincula isti circumjicere,
Ne te cunctantem animadvertat pater?
VUL. Atqui licet parata brachialia intueri.
ROB. Capiens ea (brachialia) vi valida
Circum manus malleo tunde, et affige ad petras.
VUL. Jam perficitur, neque segniter peragitur opus.
ROB. Tunde amplius, constringe, nusquam laxa.
Peritus est enim inveniendi vias etiam ex rebus desperatissimis.
VUL. Aptatum est hoc brachium inextricabiliter.
ROB. Hoc etiam nunc infibula firmiter, ut
Discat se esse Jove minus solertem veteratorem.
VUL. Te excepto nullus alius jure culpaverit me.
ROB. Nunc clavi adamantini audacem mandibulam
Valide trans pectus fige.
VUL. Heu heu Prometheu, ingemisco propter tuos labores.
ROB. Tu vero rursus cunctaris, et super hostibus Jovis
Ingemiscis? vide ne tui ipsius misereare postea.
VUL. Cernis spectaculum oculis, intolerabile.
ROB. Cerno istum meritis digna consecuturum.
Sed conjice circum latera catenas.
VUL. Necesse est ut ista peragam, ne nimis imperes.
ROB. Profecto imperabo, et altiore voce insuper acclamabo.
Descende, et crura violenter annulo cinge.
VUL. Atqui jam peractum est hoc opus haud magno labore.
ROB. Strenue nunc impinge perforatos compedes,
Quippe horum exactor operum gravis est.

VUL. Lingua tua garrit similia formæ tuæ.
ROB. Tu malacissare; hanc vero meam pervicaciam,
Et animi asperitatem ne exprobra mihi.
VUL. Discedamus, quoniam membra irretitus est.
ROB. Hic nunc proterve gestias, et deorum dona
Furatus conferas mortalibus. Quid tibi
Homines possunt ab istis laboribus detrahere?
Falso te dii Promethea
Vocant; tu enim ipse eges Prometheo [*qui te doceat*]
Quo pacto evolvaris ex ista fortuna.
PRO. O aër immense, et flatus celeribus alis,
Fluviorumque fontes, marinorumque fluctuum
Cachinnus innumerabilis, et terra omniparens,
Invoco etiam Solis orbem omnia cernentem:
Videte qualia ipse deus a diis patior:

Aspicite qualibus plagis
Peresus, per myriadum annorum
Tempus laboraturus sim: talia iste novitius
Deorum dux adversus me excogitavit
Vincula immitia.
Heu heu, et præsentem et futuram
Calamitatem ingemisco. quando tandem ærumnarum
Istarum terminos oportet exorire?
Quanquam quid hæc dico? omnia præcipio
Accurate quæ sunt futura, nec mihi inopinato
Malum ullum eveniet: cæterum destinatam oportet
Facillime ferre sortem, gnarum quod
Necessitatis est inexpugnabile robur.
Sed neque tacere, neque non tacere fortunam
Hanc possibile mihi est; nam hominibus dona
Ferens, difficultatibus hisce subjugatus sum miser:
Et quod cleperem ferula-conceptum ignis
Fontem furtivum, qui magister artis
Omnis mortalibus apparuit, et magnum lucrum.
Pœnas pro talibus delictis luo
Sub dio vinculis affixus.
Heu heu, ah ah.
Quis sonus, quis odor voce carens advolavit ad me?
Divinusne an mortalis, an medioxumus?
Numquis ad extreman hanc rupem accedit?
Laborum meorum spectator, an quid aliud volens?
Videtis vinctum me, infelicem deum,

Jovis hostem, omnibus diis

Odio habitum, quotquot
Jovis aulam ingrediuntur,
Propter nimium erga homines amorem.
Heu heu, quemnam rursus audio
Strepitum volucrum prope? nam æther levibus
Alarum ictibus stridet.
Omne quod adpropinquat mihi formidabile.

STROPHE I.

CHO. Ne quicquam metuas; hæc enim cohors amica
Alarum velocibus alternationibus [alterno remigio]
Advenit ad hanc rupem, paterno
Animo ægre persuaso.
Auræ autem veloces me miserunt:
Sonus enim ex ferri stridore penetravit in antra,
Et excussit mihi erubescentem verecundiam:
Celeriter vero adveni discalceata curru alato.

PRO. Heu heu,
Progenies Thetidis fœcundæ,
Et circumfluentis omnem
Terram fluxu irrequieto filiæ
Patris Oceani, aspicite
Quali vinculo affibulatus,
In summis scopulis hujus præcipitii
Excubias inoptabiles obibo.

ANTISTROPHE I.

CHO. Video Prometheu: sed meis horrenda oculis
Irruit nebula, lachrymarum
Plena, cum conspexi corpus tuum
Ad petras exsiccatum
Hisce adamantinis noxis. [i. *clavis noxiis*]
Nam novi gubernatores obtinent Olympum,
Novisque legibus Jupiter inique imperat,
Quæ olim sancita, nunc obliterat.

PRO. Imo vero si me subtus terram, et infra Orcum
Defunctos recipientem, in interminabilem
Tartarum demisisset, vinculis indissolubilibus
Inclementer applicitum, ut neque deus,
Neque quis alius hisce gauderet.
Nunc vero miser subdiale motaculum
Patior inimicis meis grata.

STROPHE 2.

CHO. Quis est adeo duri cordis
Deorum, cui hæc sint jucunda?
Quis non commisereatur malis
Tuis, præter scilicet Jovem? at ille perpetuo severe
Animum inflexibilem reddens,
Domat cœlicolarum genus: neque prius desinet
Quam aut ipse satiarit cor suum, aut quis arte
Aliqua occuparit imperium hoc occupatu dlfficile.

PRO. Profecto me adhuc, quamlibet validis
Hisce compedibus vexato,
Opus habebit deorum Princeps,
Ad indicandum ei consilium novum quo
Sceptro et honore spoliabitur.
Quamquam me nunquam mellifluis Suadæ
Incantationibus demulcebit, nec rigidas
Minas unquam expavescens, hoc ego
Indicabo, priusquam ex sævis
Vinculis me laxarit, et mihi pœnas pendere
Hujus ignominiæ voluerit.

ANTISTROPHE 2.

CHO. Tu quidem audax es, et acerbis
Calamitatibus nihil cedis,
Sed nimis libere vociferaris.
At meum animum irritat penitus penetrans timor.
Nam metuo in his malis tuis,
Quo tandem appulsum oportet te horum laborum
Cernere eventum. intractabiles enim
Mores et cor inexorabile habet Saturni filius.

PRO. Scio esse asperum, et penes se
Jus habere Jovem; attamen
Mollietur ejus animus
Tum quando hoc modo contusus fuerit;
Et sedata obstinata ira,
In concordiam et amicitiam mecum
Tandem cupido cupidus redibit.
CHO. Rem omnem aperi et clare nobis enarra,
Quali in delicto te deprehensum Jupiter
Adeo ignominiose et acerbe affligit:
Doce nos, nisi quid offenderis ista narratione.
PRO. Tristia quidem mihi hæc vel dictu sunt,

Sed etiam triste est tacere: ita ubique res meæ infelices sunt.
Ubi primum dii cœperant alli aliis irasci
Et seditio inter ipsos excitabatur,
Aliis volentibus Saturnum deturbare solio,
Ut scilicet Jupiter regnaret, aliis contra
Annitentibus ne Jupiter unquam diis imperaret;
Ibi ego optime consulens, permovere
Titanas, Cœli et Terræ filios,
Non potui: sed illi dolosas artes
Bellicosis animis aspernati
Putabant, sine negotio, per vim se dominaturos.
Sed mihi mater, non semel tantum, Themis,
Quæ et Terra, (multarum appellationum una forma)
Ut res eventura esset prædixerat:
Quod non per vim, neque cum potentia,
Sed dolo oporteret eos vincere qui rerum essent potituri.
Talia me verbis exponentem,
Non dignabantur prorsus vel adspicere.
Eorum igitur, quæ tum in mentem veniebant, optimum
Videbatur esse, assumpta matre,
Sponte cupienti Jovi assistere.
Atque ita meis consiliis, Tartari valde profunda
Vorago occultat Saturnum antiquum,
Una cum auxiliaribus. talibus a me
Beneficiis affectus ille deorum rex,
Mala hac mercede me remuneravit.
Nam inest quodammodo tyrannorum imperio
Hic morbus, ut non fidant amicis.
Cæterum quod interrogatis qua de causa
Me cruciat, hoc jam exponam.
Quamprimum in paterno solio
Consedit, statim diis distribuit præmia
Alia aliis, et ita stabiliebat
Imperium: miserorum autem mortalium rationem
Non habebat ullam, sed deleto isto genere
Universo, volebat aliud novum producere.
Atque his præter me resistebat nemo.
Ego vero id ausus sum. liberavi homines
Ita ut ne extincti ad Inferos descenderent:
Propterea igitur talibus calamitatibus premor,
Toleratu quidem tristibus, visu autem miserabilibus.
Hominum autem misertus, misericordiam assequi
Non sum dignus habitus, sed crudeliter
Hunc in modum tractatus sum, Jovi spectaculum inglorium.

CHO. Ille ferreo est animo et ex petra factus
Prometheu, qui tuis non condolet
Ærumnis: etenim et hæc non aspexisse cuperem,
Et videns corde contristata sum.
PRO. Amicis quidem sum ego miserabilis aspectu.
CHO. Nunquid etiam ultra hæc progressus es?
PRO. Impedivi homines ne fata prospicerent.
CHO. Quo invento hujus morbi remedio?
PRO. Spes cæcas in ipsis collocavi.
CHO. Magnum sane hoc quod præbuisti mortalibus emolumentum.
PRO. Adhæc ego ipsis ignem exhibui.
CHO. Nunc ergo ignem flammeum habent mortales?
PRO. A quo quidem multas ediscent artes.
CHO. Talia igitur ob delicta te Jupiter
Cruciat, nec quicquam de malis laxat?
Neque hujus conflictus tibi propositus terminus?
PRO. Nullus alius, nisi quando ipsi videbitur.
CHO. Sed quomodo videbitur? quæ spes? non cernis te
Deliquisse? quomodo autem deliqueris, neque
Mihi dicere jucundum est, et tibi triste. sed hæc
Missa faciamus: tu vero laborum quære solutionem.
PRO. Facile est si quis extra mala pedem
Habeat, monere et objurgare male
Habentes. Ego vero sciebam hæc omnia,
Sponte sponte deliqui, non inficiabor:
Sed opitulando hominibus, ipse calamitates inveni.
Non tamen putabam me pœnis talibus
Maceratum iri ad petras editas,
Sortitum rupem hanc desertam et solitariam.
Et vos quidem præsentia mala ne mihi defleatis,
Verum descendentes in terram sortem adventantem
Audite, ut totum a principio ad finem cognoscatis.
Obsequimini mihi, obsequimini, compatimini mihi
Jam laboranti. Nam ita pererrans
Infortunium alias alteri assidet. [appropinquat.]

CHO. Non invitis dixisti
Hoc Prometheu,
Et nunc pebe alacri celeriter-mobilem [volucris vehiculi]
Sedem relinquens, aëremque purum,
Viam volucrum, ad asperam
Hanc terram accedo. quin tuos labores
Cupio omnino cognoscere.
OCE. Venio longum itineris spatium

Emensus, Prometheu, ad te,
Hunc alitem velocibus pennis
Imperio sine lupatis gubernans.
Scias vero me compati sorti tuæ.
Ad hoc enim, arbitror, me cognatio nostra
Impellit: et extra genus,
Non est cui potiores partes
Impartirem (*cui plus deferam*) quam tibi.
Quam vera hæc sint cognosces, neque frustra
Verbis gratificari meum est. Agedum
Indica in quo sit tibi succurrendum.
Nunquam enim dices quod Oceano
Alius firmior tibi sit amicus.

PRO. Heu, quid hoc rei? et tu laborum meorum
Venis inspector? quomodo sustinuisti relinquens
Cognominem fluxum, et petris obsita
Natura-fabricata antra, hanc ferri-genitricem
Accedere in terrm? ecquid spectaturus fortunam
Advenisti meam, et compassurus malis?
Intuere spectaculum: amicum hunc Jovis,
Qui una constitui regnum ejus,
Qualibus ab ipso miseriis premor.
OCE. Video Prometheu: et quidem suggerere tibi
Volo optima, licet versuto.
Cognosce teipsum, et adapta sibi mores
Novos: nam et novus est rex inter deos.
Sin ita aspera et aculeata verba
Projeceris, cito forsan, te etiam longe superius
Sedens Jupiter audiat, ut tibi amaritudo
Præsens laborum videatur esse ludus.
Tu autem, ô miser, quas habes iras dimitte,
Et quære ab hisce solutionem calamitatibus.
Obsoleta [stulta] forsan videor tibi fari:
Talis vero nimis superbiloquentiæ
Linguæ, Prometheu, merces esse solet.
Tu autem nondum es humilis, nec cedis malis,
Sed ad præsentia insuper comparare alia cupis.
Nequaquam tamen, me monitore usus,
Contra stimulos pedem protendes, cernens quod
Monarcha asper nulli obnoxius imperat.
Proinde ego jam eo, et tentabo,
Si modo possim te hisce pœnis exsolvere.
Tu vero quiesce, neque nimis pervicaciter loquaris.
An non accurate nosti, cum sis abundanter sapiens,

Quod linguæ temerariæ damnum infligitur?
PRO. Felicem te puto quod extra culpam sies, cum
Omnium particeps fueris, omniaque ausus sis mecum.
At nunc ista omitte, neque sit tibi mei cura. Omnino
Enim non persuadebis ei; quia non est exorabilis.
Sed videas ne quid ipse lædaris hoc itinere.
OCE. Longe melior es ad consulendum proximis,
Quam tibimet; hoc re non ratione conjicio.
Sed tu me gliscentem neutiquam retrahes.
Glorior enim, glorior hanc gratiam mihi
Jovem daturum, ut te ex hisce malis liberet.
PRO. Ob hæc quidem te laudo, neque unquam
Desinam (*laudare*:) nam alacritate non deficis;
Veruntamen nihil labora; quia frustra, nihil me
Juvans, laborabis, siquidem velis laborare.
Sed tu cum extra teli jactum sis, [cum in tuto sis] quiesce.
Ego enim etsi infelix sim, non ideo
Velim quamplurimis aliis calamitates contingere.
OCE. Nequaquam, quia me etiam infortunia fratris
Atlantis affligunt, qui in locis Hesperiis
Stat, cœli et terræ columnam
Humeris sustinens, onus difficulter portatile.
Et terrigenam illum incolam Ciliciæ antrorum
Conspectus, commiseratus sum, immane monstrum,
Centicipitem vi domitum
Typhona impetuosum, qui cunctis restitit diis,
Horrendis buccis cædem exsibilans; ex oculis
Autem fulgurabat visu-terribilem splendorem,
Tanquam Jovis imperium vi eversurus:
Sed in illum irruit Jovis vigilans telum,
Fulmen caducum expirans flammam,
Quod ei excussit grandisona
Jactatione. nam usque ad ipsa præcordia ictus
Ambustus et tonitruo fractus est viribus:
Et nunc inutile atque protensum corpus,
Jacet prope fretum maritimum
Suh radicibus Ætnæis depressus. In verticibus
Autem summis sedens laminas ignitas cudit
Vulcanus, unde olim cum fragore erumpent
Fluvii ignis, feris maxillis vorantes
Feracis Siciliæ arva spatiosa [lævia].
Talem Typhon ebulliet indignationem fervidis
Telis ex imo astuario ignem exhalante,
Jovis licet fulmine concrematus.
PRO. Tu vero non es imperitus, neque me præceptore

Eges ; teipsum serva quocunque scis modo :
Ego autem hoc præsens infortunium exantlabo,
Donec Jovis mens iram deponat [irâ respiret].
OCE. Non ergo Prometheu hoc nosti, quod
Iræ concitatæ medici sunt orationes?
PRO. Si quis tempestive cor molliat,
Et non tumentem animum vi atterat.
OCE. At in magno studio conando et audendo, quodnam
Cernas inesse damnum ? doce me.
PRO. Laborem supervacuum, et cum levitate stultitiam.
OCE. Sine me hoc morbo laborare, quia
Utilissimum est, recte-sapientem non videri sapere.
PRO. Meum videbitur delictum esse hoc.
OCE. Manifeste domum tua me remittit oratio.
PRO. Vide enim ne te mei commiseratio in odium conjiciat.
OCE. Num ejus qui nuper sedet in omnia-gubernantem thronum?
PRO. Hujus cave ne unquam exacerbetur animus.
OCE. Tua, Prometheu, calamitas mihi est magistra.
PRO. Ito, revertere, retine hanc præsentem mentem.
OCE. Propenso mihi renuntiasti hæc verba.
Nam viam aëris amplam radit pennis
Quadricruris ales, et jam libens
In stabulis propriis inclinaverit genua.

STROPHE 1.

CHO. Deploro tibi exitialem
Fortunam, Prometheu,
Et lachrymas-stillans ab oculis
Teneris fluxus genas
Humidis fontibus humectavit
Nam stupenda hæc Jupiter
Propriis legibus administrans,
Insolentem ostentat decessoribus
Diis potentiam.

ANTISTROPHE 1.

Tota vero etiamnum lugubriter
Regio insonuit,
Magnificamque et
Antiquam deflens tuam
Fratrumque dignitatem,
Et quotquot vicinam sacræ
Asiæ sedem incolunt,
Graviter-gemendis malis tuis

Compatiuntur mortales:

STROPHE 2.

Et terræ Colchidos incolæ
Virgines, in pugnis intrepidæ,
Et plebs Scythiæ,
Qui extremum terræ tractum circa
Mæotidem paludem occupant,

ANTISTROPHE 2.

Et Arabiæ Mavortius flos,
Quique editam civitatem
Prope Caucasum incolunt,
Exercitus pugnax,
Acuminatis horrens cuspidibus.

Unum quidem solum deorum antea in laboribus
Domitum adamantinis
Corruptelis, Titanem vidi
Atlantem, qui semper supereminens robur
Firmum et cœlestem polum
Humeris ingemiscens sustinet:
Mugit vero marinus fluctus
Collisus, suspirat fundus,
Et ater Orci secessus fremit
Subtus terram, fontesque fluviorum pure-fluentium
Deplorant dolorem miserabilem.

PRO. Nequaquam existimate fastu aut arrogantia
Me tacere; sed cogitatione mordeor in animo,
Meipsum videns ita insultatum.
Atqui istis novis diis munera
Quis alius, quam ego, prorsus distribuit?
Sed ea taceo: etenim scientibus illa
Vobis dicerem: cæterum offensiones in hominibus
Audite, ut ipsos rudens prius existentes,
Intelligentes effeci, et mente consilii participes.
Dicam vero, nullam reprehensionem in homines
Habens sed in iis quæ dedi benevolentiam
Commemorans, qui primum quidem videntes
Frustra videbant, audientes non audiebant: sed
Somniorum imaginibus similes, longo tempore
Omnia temere commiscebant; et neque lateritias
Domos soli oppositas sciebant, nec lignorum fabricationem:

Sed subterranei habitabant, velut agiles
Formicæ in secessibus antrorum sole carentibus.
Et nullum erat eis neque hiemis signum,
Neque floridi veris, neque frugiferæ
Æstatis certum: sed sine ratione omnia
Agebant, donec ego ipsis ortus
Astrorum indicavi, et occasus judicatu-difficiles.
Adhæc numerum (i. *Arithmeticam*) artium
Præstantissimam eis inveni literarumque connexiones,
Et memoriam omnium effectricem Musarum matrem:
Primus etiam ad juga copulavi animalia
Jugis servientia et clitellis, utque corporum
Humanorum loco maximos labores
Susciperent, et sub curru duxi freni amantes
Equos, ornamentum prædivitis luxuriæ.
Marivaga vero nullus a me alius
Linivola invenit nautarum vehicula.
Hujusmodi artificia miser cum ego invenerim
Hominibus, ipse non habeo solertiam, qua
Liberer ab hoc nunc præsenti malo.
CHO. Indignum pateris exitium, mente lapsus
Erras: sed tanquam medicus malus in morbum
Prolapsus, animum despondes, nec potes invenire
Quibus tute remediis sis curabilis.
PRO. Reliqua ex me audiens mirabere magis
Quales artes et quæstus excogitavi.
Hoc maximum, si quis in morbum incideret,
Non erat remedium ullum, neque esculentum,
Neque unguentum, neque poculentum, sed
Pharmacorum inopia exsiccabantur, antequam ego eis
Monstravi salubrium medicamentorum
Compositiones, quibus omnes depellerent morbos.
Modes etiam multos vaticinii ordinavi,
Et primus definivi somniorum quænam oporteat
Rata evenire, et omina judicatu-difficilia
Explicui ipsis: signaque in viis obvia,
Tum alitum aduncis unguibus volatum accurate
Distinxi, et qui natura dextri,
Et qui sinistri, et qualem vitæ rationem
Quique haberent, et quæ inter se invicem
Inimicitiæ, benevolentiæque et consessus:
Viscerumque lævitatem, et quo colore
Prædita diis volupe essent;
Fellis etiam, et jecinoris variegatam speciem;
Membraque adipe cooperta, et longum

Lumbum comburendo in artem inventu difficilem
Perduxi homines; et signa flammea
Revelavi, ante caligine-obducta.
Atque talia quidem hæc: subtus vero terram
Hominibus abdita commoda,
Æs, ferrum, argentum et aurum, quis
Dixerit se invenisse ante me?
Nemo, sat scio, ne frustra gloriari volens.
Uno autem verbo cuncta summatim accipe,
Omnes artes mortalibus a Prometheo.
CHO. Ne deinceps homines juves ultra quam convenit,
Teipsum vero infeliciter agentem negligas. Quia
Ego bonæ sum spei te ex hisce vinculis etiamnum
Solutum, nihilo minus Jove valiturum.
PRO. Non hæc ita ut sors perfica
Absolvat fatatum est, sed infinitis cladibus
Et miseriis afflictus, ita demum vincula evadam.
Ars vero longe est imbecillior necessitate.
CHO. Quis est ergo necessitatis gubernator?
PRO. Parcæ triformes, (i. *tres*) memoresque Erinnyes.
CHO. Hisne ergo Jupiter impotentior?
PRO. Non sane effugerit ille fatum.
CHO. Quid aliud Jovi destinatum quam semper imperare?
PRO. Hoc tu jam non audieris, ne flagita.
CHO. Num grave quid est quod ita abscondis?
PRO. Recordamini alius sermonis, hunc minime
Tempus est efferre, sed est occultandus
Quam maxime: nam hunc retinendo, ego
Effugiam vincula ignominiosa et miserias.

STROPHE I.

CHO. Neutiquam omnia-administrans
Vim suam meæ voluntati
Opponat Jupiter,
Neque ego cessarim ad deos sacris
Victimis accedens
Boum mactatorum, apud patris Oceani
Fluxum perennem,
Neque peccem verbis:
Sed mihi hoc maneat,
Nec unquam effluat:

ANTISTROPHE I.

Profecto dulce est spe fidenti

Longam vitam
Producere, clara
Animum ampliantem hilaritate.
Ego vero inhorresco te intuens
Infinitis laboribus dilaceratum
* * * * * *
Jovem enim non expavescens,
Proprio genio colis
Homines nimis Prometheu.

STROPHE 2.

Age quam ingrata
Gratia, o amice, dic, ubi hic robur [præsidium]?
Quod auxilium mortalium? non aspexisti
Impotentiam imbellem,
Somnio parem, qua improvidum hominum
Genus est impeditum?
Nunquam Jovis ordinationem
Antevertunt hominum consilia.

ANTISTROPHE 2.

Hæc didici, tuam
Exitialem intuens sortem Prometheu:
Sed ad me advolavit, cantio discrepans
Ab illa quam circum lavacra et lectum
Tuum canebam consilio nuptiarum,
Quando eodem patre prognatam [sororem nostram]
Duxisti Hesionem, dotalibus
Persuasam, uxorem consortem tori.
10. Quæ tellus? quod genus (*hominum?*) quem
Dicam me videre istum in vinculis petrosis
Hiemantem [afflictum]? cujus delicti
Pœnis peris? ostende ubi
Terrarum ærumnosa errem.

Heu heu, ah ah.
Rursus me miseram œstrus quispiam stimulat,
Spectrum Argi terrigenæ, avertas o Terra,
Inhorresco illum multioculum [vigilantem] bubulcum intuens.
Incedit ille fraudulentum oculum habens,
Quem ne defunctum quidem occultat terra.
Sed ab inferis commeans me miseram
Exagitat, et errare facit famelicam per maritimam

Arenam: sistula vero cera-compacta sonora
Submurmurat carmen somniferum. Heu heu,
Quo quo, ubi ubi ubi; quo me longivagi errores
Impellunt? quid unquam, sili Saturni, quid unquam,
Deprehendens me delinquentem
Intricasti hisce calamitatibus? heu heu.
Ab œstro illato terrore miseram
Amentem itane vexas?
Igne combure, aut terra absconde, aut
Da (*me*) marinis monstris pabulum, ne mihi
Invideas hæc vota rex.
Satis me errores multivagi
Exercuerunt, nec scire possum quî
Ærumnas evitem.

CHO. Audin' alloquutionem virginis illius cornigeræ?
PRO. Quomodo non audiam illam œstro percitam
Puellam Inachida? quæ Jovis calfacit cor
Amore, et nunc longinquis cursibus
Junoni invisa, per vim exercetur.

IO. Unde tu patris mei nomen pronuntias?
Dic mihi infelici, quis tu?
Quis, miser, me miseram
Adeo vere alloqueris?
Etiam divinitus-immissum morbum edixisti,
Qui me pungens tabefacit
Stimulis ad cursum incitantibus, heu heu.
Ideo famem afferentibus flagris saltuum
Cursu-concita veni,
Domita consiliis infensis. Quinam autem
Infelicium sunt, heu heu, qui perinde ac ego
Laborant? sed mihi diserte significa
Quid me adhuc manet pati,
Quid me facere oportet: quod remedium morbi sit.
Indica, si scis, edissere,
Dic misere vagabundæ virgini.

PRO. Dicam tibi plane rem omnem, quam scire expetis,
Ænigmate non involvens, sed sermone simplici,
Sicut ad amicos os aperire expedit.
Datorem ignis mortalibus cernis Prometheum.
IO. O qui in adjumentum commune hominibus
Apparuisti miser Prometheu, cujus causa hæc pateris?
PRO. Modo desii meas deflere ærumnas.

IO. Non præbueris mihi hoc officii?
PRO. Dic quod postulas; nam quidvis ex me percipies.
IO. Indica quis in prærupta illa rupe te alligavit.
PRO. Jovis quidem consilium, Vulcani vero manus.
IO. Sed qualium delictorum pœnas luis?
PRO. Tantum duntaxat tibi enarrasse satis est.
IO. Quin adhæc etiam indica quod tempus mihi
Finis erit vagationis miseræ.
PRO. Satius est te ignorare hæc quam cognoscere.
IO. Ne tu id me celes quod sum passura.
PRO. Atqui haud invideo tibi hoc officii.
IO. Cur ergo cunctaris quin efferas rem omnem?
PRO. Invidia nulla; sed vereor animum turbare tuum.
IO. Ne de me solicitus sis magis quam dulce est mihi.
PRO. Qûia cupis, dicendum est; ergo audias.
CHO. Nondum quidem; sed et mihi partem voluptatis
Præbeas. prius hujus sciscitando cognoscamus morbum,
Ipsa exponente ærumnas exitiales:
Reliqua vero certamina ex te edoceantur.
PRO. Tuum est, Io, eis hoc indulgere officii
Cum ob alia, tum quia sunt patris sorores.
Quin etiam deflere et deplorare casus (*suos*)
Ibi, ubi est quis relaturus lachrymas
Ab auditoribus, habet operæ pretium.
IO. Non scio quomodo debeam vobis refragari:
Sed sermone perspicuo totum quod cupitis
Cognoscetis: tametsi erubescam etiam enarrans
Unde divinitus-immissa tempestas, et corruptio
Formæ mihi calamitosæ accidit.
Nam semper nocturnæ visiones ventitantes
In thalamos meos, demulcebant me
Lenibus verbis; O perbeata puella,
Cur diu permanes virgo, cum liceat tibi conjugium
Nancisci præstantissimum? Jupiter enim jaculo
Desiderii a te (misso) incaluit, et Venerem communicare
Cupit: tu autem, O puera, ne apolactises (*recalcitres*)
Cubile Jovis, sed exeas ad Lernæ profundum
Pratum, et pascua et bovilia patris,
Ut Jovis oculus deponat desiderium.
Talibus somniis totas noctes
Misera occupabar, donec patri
Auderem narrare somnia noctu ventitantia.
Ille autem ad Pytho et in Dodonam crebros
Oraculorum-consultores mittebat, ut cognosceret
Quid agendo aut loquendo gratificaretur diis.

Illi reversi nuntiarunt ambigua
Oracula obscure et intricate prolata.
Tandem apertum vaticinium venit Inacho
Diserte inculcans et jubens
Extra domum et patriam me pellere,
Ut derelicta errem in extremis terræ finibus:
Quod si nolit, a Jove venire flammeum
Fulmen, quod totam familiam delebit.
Talibus persuasus Apollinis vaticiniis,
Expulit et exclusit me domo
Invitam invitus: sed coegit eum
Jovis frenum [imperium] per vim hæc facere.
Statim vero forma et animus perversi
Fiebant, et cornuta, ut videtis, acuto
Stimulata œstro, saltu lymphatico
Ferebar ad potu-salubrem fluxum Cenchreæ,
Fastigiumque Lernæ: bubulcus vero terrigena
Intemperans ira Argus insequebatur, multis
Oculis observans gressus meos.
Inopinatum autem eum et repentinum fatum
Vita privavit. Ego vero œstro percita
Flagro divino de terra in terram agitor.
Audis quæ acta sunt, si autem habeas dicere quid
De malis reliquum sit, indices: nec me
Misertus demulceas verbis fallacibus: nam luem
Turpissimam judico sermones commentitios.

CHO. Mitte, mitte. desiste, heu.
Nunquam nunquam optarim tam insolitam orationem
Pervenire ad aures meas, neque ita tristia visu
Et intolerabilia damnat; piacula, terricula ancipiti
Stimulo refrigerare animum meum:
Heu heu, fatum, fatum,
Inhorrui cum aspexerim fortunam Ius.

PRO. Ante ingemiscis, et terrore plena es.
Cohibe (*te*), donec reliqua etiam addiscas.
CHO. Dicas, edoceas: nam ægrotantibus dulce est
Clare in antecessum nosse mali residuum.
PRO. Priorem petitionem obtinuistis a me
Facile: primum enim hanc audire voluistis
Ad se pertinentes ærumnas declarantem.
Reliqua nunc accipite, qualia oportet mala
A Junone hanc juvenculam pati.
Tu vero Inachi semen verba mea

Animo conde, ut exitus ediscas itineris.
Primum quidem hinc ad exortum solis
Conversa, transi inarata arva:
Accedes vero ad Scythas Nomadas, qui casas vitiles
Incolunt sublimes super rotundis curribus,
Arcubus longe-jaculantibus instructi:
Quibus ne propinques: sed pedes ad fluctisonas
Crepidines littoris petrosas declinans terram pertranseas.
Ad sinistram autem manum fabri ferrarii
Chalybes habitant, a quibus oportet te cavere.
Sunt enim immites, et inaccessi peregrinis.
Pervenies etiam ad fluvium Hybristem haud falso
Nomine, quem ne transeas, quia non est facilis
Vadatu, priusquam ad ipsum venias Caucasum,
Montium altissimum, ubi fluvius effundit vim
Ex jugis editioribus: sed oportet astris-vicina
Transcendentem cacumina ad meridianam
Viam tendere, ubi ad Amazonum aciem
Viros odio prosequentem appuleris, quæ aliquando
Themiscyram circa Thermodontem incolent, ubi
Est asper ponti Salmydessius sinus
Nautis inhospitalis, noverca navium:
Istæ te deducent et valde lubenter.
In ipsis autem angustis portis paludis Isthmum
Cimmericum attinges, quem oportet te audacter
Deserentem trajicere angustias Mæoticas.
Erit vero hominibus fama in æternum ingens
Tui transitus, nam Bosphorus cognomine
Indigitabitur. Solum autem Europæ relinquens,
Pervenies in continentem Asiaticam; nunquid
Vobis videtur deorum gubernator in omnibus æque
Violentus esse? huic enim mortali Deus
Commisceri volens hos injecit errores.
Acerbum comparasti, o puella, conjugii tui
Procum. quas enim jam audisti narrationes puta
Tibi esse ne procemia quidem eorum quæ dicenda sunt.

IO. Hei mihi mihi, eheu eheu.

PRO. Tu vicissim exclamas et singultis. quid
Facies ubi reliqua auscultes mala?

CHO. Num aliquid reliquum mali illi dices?

PRO. Imo tempestuosum mare moxiæ calamitatis.

IO. Quid ergo lucri mihi vivere, quin potius illico
De hac aspera petra memet projecerim,
Ut in terram decidens ab omnibus malis
Liberarer? Nam satius est semel mori,

Quam diebus (*vitæ*) omnibus mala perpeti.
PRO. Næ ægre ferres meas afflictiones,
Cui non est fato-concessum mori:
Hoc enim fuerit malorum liberatio.
Nunc vero nullus est finis mihi propositus
Laborum, antequam Jupiter regno excidat.
IO. Nunquid aliquando erit ut Jupiter e regno excidat?
PRO. Gauderes, puto, istam conspicata cladem.
IO. Quippe ni, cum a Jove malis afficiar?
PRO. Hæc igitur ita esse cognoscere potes.
IO. A quo spoliabitur sceptro regio?
PRO. Ipse a suis judicii-inanibus consiliis.
IO. Quomodo? indica, nisi quid inest incommodi.
PRO. Tale junget conjugium, cujus olim pœnitebit.
IO. Divinumne, an humanum? dicas, si fas dicere.
PRO. Quid quale illud sit? (quæris) non enim licet efferre.
IO. Nunquid per uxorem throno deturbabitur?
PRO. Quæ scilicet pariet filium patre præstantiorem.
IO. An illi nulla est hujus calamitatis aversio?
PRO. Non sane, priusquam ego ex vinculis solutus fuero.
IO. Quis ergo est te soluturus invito Jove?
PRO. Oportet esse quendam ex posteris tuis.
IO. Quid ais? meusne filius te liberabit a malis?
PRO. Tertius genere a decem aliis generationibus.
IO. Hæc vaticinatio non adhuc est per conjecturas facilis intellectu.
PRO. Quin neque tuas anquiras ærumnas.
IO. Ne me porrecto beneficio continuo prives.
PRO. Duarum narrationum alterutra te donabo.
IO. Quarum? indica et da mihi delectum.
PRO. Contribuo: elige aut reliquos labores tibi
Aperte indicabo, aut eum qui me soluturus est.
CHO. Harum quidem istam illi, hanc autem mihi
Gratiam concedas, neque asperneris petitionem:
Isti quidem narres reliquam errationem,
Mihi vero liberatorem: hoc enim cupio.
PRO. Quandoquidem cupitis, non refragabor
Quin exponam omne quicquid est quod vultis.
Tibi Io primum edisseram vagum errorem,
Quem tu inscribas memori mentis tabula.
Quando transieris fluvium, continentium terminum,
Ad ortum lucidum a sole tritum
Maris trajiciens fremitum, donec pervenias
Ad campos Gorgonios Cisthinæ, ubi
Phorcides vetulæ puellæ habitant

Tres cygniformes, oculum communem possidentes
Et dentem unum, quas neque unquam sol aspicit
Radiis, neque nocturna luna unquam.
Prope utem harum sorores tres aligeræ
Anguicomæ viris invisæ Gorgones,
Quas homo nullus conspicatus retinebit spiritum.
Talem tibi hujus indico præcautionem:
Aliud vero audias ingratum spectaculum.
Voraces enim non latrantes Jovis canes
Gryphes caveto, et monoculum exercitum
Arimasporum equestrem, qui aurifluum
Habitant juxta fluentum Plutonis alvei:
Hos tu ne adpetas. Sed in longinquam terram
Ad populum nigrum pervenies, qui ad solis
Degunt fontes, ubi fluvius Æthiops.
Hujus incedas juxta ripas, donec pervenias
Ad Catabasmum, ubi de montibus byblinis
Nilus effundit fluxum venerandum potu-jucundum.
Hic te ducet in terram triquetram
Nilotida, ubi longam coloniam
Condere tibi Jo et filiis (tuis) est fato concessum.
Horum si quid est tibi obscurum et inventu-difficile,
Repetas et planius ediscas:
Quippe mihi plus adest otii quam velim.
CHO. Si quid huic reliquum aut omissum
Narrare potes de vagatione valde perniciosa,
Narra; sin autem omnia exposuisti, nobis vicissim
Officium præsta quod petimus, recordare quæso.
PRO. Hæc terminum audivit totius vagationis suæ.
Sed ut sciat se non frustra audire me,
Quæ prius labore effecta reddidit quam huc venit, exponam,
Hoc ei exhibens certum signum (*veritatis*) orationis meæ.
Omittam igitur verborum turbam plurimam,
Et pergam ad ipsum errorum terminum.
Postquam pervenisti in regionem Molossam,
Et ad eminentem Dodonam, ubi
Et oraculum et sedes Jovis Thesproti,
Miraculumque incredibile, quercus adloquaces,
A quibus tu clare et non ænigmatice
Salutata es inclyta Jovis futura
Conjux, si modo quid horum adblanditur tibi:
Inde œstro concita secundum littoralem
Viam pervenisti ad magnum Rheæ sinum,

Unde retrovagis cursibus vexaris:
In posterum autem secessus (ille) maritimus,
Pro certo hoc scias, vocabitur Ionius,
Monimentum tui itineris omnibus hominibus.
Hæc tibi sunt signa, quod mens mea
Cernat plus quam quod apparet.
Reliqua deinceps in communi vobis et isti dicam,
Reversus ad idem vestigium priorum sermonum.
Urbs est Canobus terræ extrema,
Ad ipsum Nihi ostium et aggerem sita:
Ibi quidem Jupiter te efficiet mentis compotem,
Placida tantum attrectans et tangens manu.
Cognominem vero ab attrectatione Jovis
Paries nigrum Epaphum: qui fruetur (*tanta*)
Quantam latifluus Nilus irrigat terra:
Ab illo generatio quinta liberorum quinquaginta
Redibit Argos non lubens
Fœminina, fugiens cognatas nuptias
Patruelium: illi autem animis insanientes,
Ut circi non procul distantes a columbis,
Venient venantes nuptias quas venari non debebant,
Ast invidebit eis deus corpora:
Pelasga vero (terra) excipiet fœminea
Cæde domita, audacia, noctis opportunitatem observante.
Mulier enim quæque suum virum vita privabit,
Anceps gladium cæde tingens.
Talis eveniat hostibus meis Venus.
Unam tamen puellarum amor demulcebit, ut non
Maritum occidat, sed languescet.
A proposito; et ex duabus existimationibus alteram eliget,
Cluere potius ignava, quam cæde polluta.
Hæc in Argo regium pariet genus.
Ad hæc clare enarranda opus fuerit longa oratione:
Ex hac quidem stirpe nascetur fortis (ille, et)
Celebris-arcubus, qui me ex hisce laboribus
Liberabit. Hujusmodi oraculum mihi grandæva
Mater illa Themis Titania enarravit: quomodo
Autem et quando, hæc longo tempore indiguerint
Ad narrandum, et tu iis cognitis nihil juvabere.

10. Heu, heu, heu, heu, heu,
Me rursus mentis inflammatio et animum percutientes
Furores urunt, œstri quidem acies
Ardentissima me stimulat,
Cor vero præ metu præcordia verberat:

Oculi autem volutim rotantur
Ex extra orbitam feror, rabiei
Impetu insano, linguæ impotens:
Voces vero turbidæ temere allidunt
Ad fluctus noxæ exosæ.

STROPHE.

CHO. Revera sapiens, sapiens revera fuit,
Qui primus hanc sententiam in animo
Concepit et verbis elocutus est,
Quod parem conjugem sibi jungere longe
Optimum sit; nec cum, qui loco tenui natus sit,
Aut divitiis affluentes,
Aut genere superbientes amare deceat [affinitates].

ANTISTROPHE.

Nunquam nunquam me o
Fata * * * *
Conspiciatis factam Jovis lecti sociam:
Neque marito copuler cuipiam e cœlicolis.
Nam exhorreo proci non amantem virginitatem
Iûs. videns ob conjugium laceratam
Immitibus Junonis erroribus [laborum].

Mihi vero quia æquale conjugium
Metus expers, non vereor neque potentiorum
Deorum amor oculus inevitabilis aspiciat me.
Hoc enim bellum inexpugnabile, difficultatibus
Abundans, nec scio qualis forem. Nam
Haud novi quomodo Jovis effugerim consilium.

PRO. Profecto Jupiter, licet adhuc mente pervicaci,
Flet humilis, quales instituit
Nuptias nubere: quæ ipsum ex regno
Et soliis evanidum ejicient; et imprecatio patris
Saturni tum jam omnino perficietur;
Quam imprecabatur antiquis soliis excidens.
Horum laborum aversionem nullus deorum
Præter me poterit ei plane indicare.
Ego hæc novi, et quomodo, [perficientur.] proinde
Jam confidenter sedeat æriis ictibus
Fretus, et vibrans manibus ignem-sperans jaculum.
Nam hæc ei nihil sufficient, quo minus

Inhoneste ruina cadat intolerabili.
Talem adversarium nunc præparat
Ipse adversus se, monstrum inexpugnabile;
Qui potentiorem fulmine inveniet flammam,
Fragoremque validum superantem tonitru;
Et qui marinum, terram concutiens malum,
Tridentem, illam Neptuni hastam dissipabit.
Illisus autem huic malo discet
Quantum imperare et parere distant.
CHO. Tu jamdudum quæ cupis, illa Jovi male ominaris.
PRO. Quæ sient, præterea autem quæ vellem loquor.
CHO. Expectandum igitur Jovi aliquem dominaturum?
PRO. Etiam et his labores importabiliores sustinebit.
CHO. Quomodo non metuis, talia projiciens verba?
PRO. Quid (ego) metuam, cui non est fatale mori?
CHO. At tibi ærumnam ista graviorem inferre potest.
PRO. Faciat ille, [quicquid voluerit] omnia mihi expectanda.
CHO. Qui colunt vindictæ deam, sapiunt.
PRO. Cole, invoca, adulare istum æternum gubernatorem.
Mihi autem Jupiter minus nihilo est curæ.
Agat, imperet hoc brevi tempore
Ut vult; non enim diu imperabit diis.
Sed enim conspicio illum Jovis cursorem,
Illum novitii regis ministrum:
Omnino nuntiatum quid novi venit.
MER. Te, illum veteratorem, illum acerbe peracerbum,
Qui deliquisti adversus deos, hominibus
Præbens dona, illum ignis furem dico:
Pater te jussit quas jactitas nuptias
Edisserere, et a quibus ille excidat imperio;
Et hæc quidem nullatenus obscure,
Sed singula eloquere plane; neque mihi duplices
Prometheu imponas vias; cernis enim quod
Jupiter talibus non emollitur.
PRO. Grandisona et confidentiæ plena
Est hæc oratio, qualis deorum ministrum decet.
Nuperum imperium novitii obtinetis, quinetiam
Putatis vos incolere arces nulli dolori pervias:
Non ex his ego reges duos excidisse vidi?
Et hunc jam regnantem tertium aspiciam
Turpissime et citissime. nunquid tibi videor
Metuere et formidare novos deos?
Immo multum et omnino absum (a metu). proinde
Tu qua venisti via, eam repetas festinanter.
Nam nihil eorum quæ ex me sciscitaris cognosces.

MER. At tali etiam prius pervicacia
Temet conjecisti in has infelicitates.
PRO. Tuis servitiis meam hanc miseriam,
Pro certo habe, non ego permutarim.
Satius enim duco huic mancipari petræ,
Quam Jovi patri (*tuo*) esse fidum nuntium.
Ita cum procacibus procaciter agendum.
MER. Videris delectari præsentibus malis.
PRO. Delector? sic delectantes meos
Videam hostes: et te inter eos dico.
MER. Nunquid et me ob has calamitates incusas?
PRO. Uno verbo omnes odi deos,
Quicunque beneficiis affecti, me injuria affligunt.
MER. Percipio te insanire morbum non exiguum.
PRO. Laborem sane morbo, si morbus odisse hostes.
MER. Non tolerandus esses, si feliciter ageres.
PRO. Hei mihi. MER. Hoc verbum Jupiter ignorat.
PRO. Ast tempus senescens omnia edocet.
MER. Atqui tu nondum didicisti sanus esse.
PRO. Te enim ministrum non alloquutus fuissem.
MER. Nihil videris dicere eorum quæ vult pater.
PRO. Siquidem deberem ei persolverem gratias.
MER. Nimirum conviciaris me perinde ac si essem puer.
PRO. Annon tu es puer, atque eo etiam insipientior,
Si speras te aliquid ex me auditurum?
Non est cruciatus neqne machinatio, qua
Jupiter me inducet hæc enunciare,
Priusquam laxata fuerint vincula corpus affligentia.
Proinde jaciatur ardens flamma,
Nive alas habente albas terrestique
Tonitru misceat, et confundat omnia:
Nihil enim horum me flectet, ut dicam
Per quem oporteat eum excidere regno.
MER. Vide quæso num hæc tibi profutura videantur.
PRO. Hæc sunt dudum visa et deliberata.
MER. Aude, o vanissime, aude aliquando
In præsentibus ærumnis recte sapere.
PRO. Frustra me, fluctus instar, monendo sollicitas.
Nunquam tibi in mentem veniat me Jovis
Sententiam exhorrentem, effœminatum fore,
Et isti valde inviso supplicaturum
Muliebribus manuum supinationibus,
Ut me solvat ab hisce vinculis: ab hoc omnino absum.
MER. Videor colloquendo multa et frustra dicere.
Nihil enim mitigaris et emolliris precibus

Meis: sed frænum mandens tanquam nuper jugatus
Pullus, violentus sis et habenis repugnas.
Sed ferocis invalido consilio callido.
Nam pervicacia non-recte-sapienti,
Ipsa per se minimo minus valet.
Considera vero si non parueris monitis meis,
Qualis tempestas et ingens malorum fluctus
In te irruet inevitabilis: primum edim asperum
Hunc rupis recessum tonitru et fulminis flamma
Pater diffringet, et abscondet corpus tuum,
Petrosus autem sinus te excipiet.
Et longo temporis defunctus spatio,
Denuo prodibis in lucem; sed Jovis
Volucer canis Aquila cædis avida rapax
Corporis fragmentum magnum dilacerabit,
Conviva quotidianus non vocatus adventans:
Atrum et adesum jecur epulabitur.
Neque hujus ærumnæ finem aliquem expectes,
Priusquam deorum aliquis successor tuorum laborum
Appareat, et velit descendere ad obscurum
Orcum, et ad tenebrosa profunda Tartari.
De his delibera; quia hic non est fictitia
Verborum ostentatio, sed serio enuntiata.
Nam mentiri nescit os
Jovis, sed perficit omne verbum. Tu vero
Dispice et cura; neque pervicaciam unquam
Existimes meliorem bono consilio.
CHO. Nobis quidem Mercurius videtur non intempestiva
Fari; jubet enim te, pervicacia
Deposita, investigare sapiens consilium. Obtempera
Turpe est enim sapienti in peccare.

PRO. Scienti mihi hæc mandata
Iste exposuit, sed male tractari
Hostem ab hostibus, nihil est indecori.
Porro, in me projiciatur
Crispisulcans igneum fulmen, æther vero
Concutiatur tonitru, et turbine
Furentium ventorum, terram autem ex fundo
Cum radicibus vibret ventus,
Fluctum vero maris insano vortice
Cum astrorum cœlestium
Cursibus commisceat, atque in atrum
Tartarum penitus projiciat corpus
Meum, necessitatis rigidis turbinibus;

Omnino tamen me necare non poterit.
MER. Tales nimirum mente-percussorum
Cogitationes et voces licet audire.
Quid enim abest a delirio?
Et quum tanto prematur infortunio, quid de insania remitteret?
Vos vero ærumnis
Hujus compatientes, locis
Ex his celeriter aliquo discedite;
Ne animos vestros attonitos reddat
Mugitus tonitrus immanis.
CHO. Aliud quid loquaris et suadeas
Mihi quod et persuadebis. nam
Hunc sermonem adduxisti non ferendum.
Quomodo jubes me improbitatem exercere?
Cum hoc volo perpeti, quicquid oporteat;
Didici enim odisse desertores;
Nec datur vitium
Quod magis quam hoc despuam.
MER. Sed memineritis quæ ego præmoneo;
Neque a malo deprehensæ,
Incusetis fortunam, neque dicatis unquam
Jovem vos in improvisum
Infortunium conjecisse; non inquam, sed vos
Vosmet: scientes enim
Neque ex improviso, neque clam
In inextricabilem laqueum calamitatis
Incogitantia implicabimini.
PRO. Atqui facto et non amplius verbo
Tersa concussa est;
Et reboat raucus fragor
Tonitrus, volumina vero emicant
Fulgurum ignea, turbines autem pulverem
Circumagitant; et exsiliunt ventorum
Omnium flatus, in se mutuo
Ex adverso spirantem seditionem ostendentes:
Æther vero mari est confusus.
Talis vehemens plaga a Jove
Terrorem incutiens in me aperte venit.
O matris meæ veneratio, ô omnium
Communem lucem circumvolvens æther,
Cernis quam injusta patiar.



SEPTEM CONTRA THEBAS.

DRAMATIS PERSONÆ.

ETEOCLES.
NUNCIUS EXPLORATOR.
CHORUS VIRGINUM.
ISMENE.
ANTIGONE.
PRŒCO.

Prologum agit Eteocles, populum Thebanum ad urbis custodiam instruens.

SEPTEM CONTRA THEBAS.

ETEOCLES.

CADMEI cives, tempestiva oportet loqui (*eum*),
Qui rerum curam gerit in puppi civitatis
Clavum movens, palpebras non componens somno.
Si enim bene rem geramus, causa ad deos refertur:
Sin aliter, quod absit, acciderit infortunium,
Unus Eteocles multus per urbem
Decantaretur a civibus præludiis tumultuosis,
Et lamentis, quorum Jupiter averruncus,
Uti nominatur, sit Cadmæorum civitati.
Vos autem nunc oportet, et eum qui nondum attigit
Pubertatis florem, et eum qui tempore pubertatem excessit,
Vigorem multum reparantem corporis
Curam habentem unumquemque, sicut convenit.
Urbi succurrere, et deorum indigenarum
Altaribus, (ne unquam honoribus destituantur)
Liberisque, terræque matri, charissimæ altrici.
Hæc enim (*vos*) pueros reptantes benigno solo,
Omnem suscipiens educationis molestiam,
Nutrivit, ut coloni [cives] scutigeri
Fideles essetis in hanc necessitatem.
Et nunc quidem in hunc usque diem bene propensus
Est deus: hoc enim tempore obsessis
Feliciter in plerisque bellum a diis succedit.
Jam vero sicut ait vates, curator avium,
Auribus et mente observans absque igne
Fatidicas volucres arte infallibili:
Ille talium vaticinationum magister
Dicit maximum agmen Achivorum
Noctu contrahi, et insidiaturum esse urbi.
Quare ad portas, et turrium pinnas
Festinate cuncti, accelerate cum armis omnibus,
Implete propugnacula, et super tabulata
Turrium state, et portarum in exitibus

Manentes confidite, neque advenarum
Formidate admodum multitudinem: felicem exitum deus dabit.
Quin et ego speculatores, exploratoresque exercitus
Emisi, quos viam spero non frustra capessere;
A quibus certior factus nunquam capiar dolo.
NUN. Eteocles, præstantissime Cadmæorum rex,
Venio certa inde ab exercitu ferens:
Ipse enim ocularis testis sum rerum omnium.
Nam viri septem bellicosi duces
Bovem mactantes super clypeum nigro (*ferro*) revinctum,
Et contingentes manibus taurinum cruorem,
Per Martem, Bellonam, et Pavorem sanguinis-avidum
Sancte-jurarunt, se aut civitati suffossiones
Struentes, vi perdituros Cadmæorum urbem,
Aut hanc morientes terram tincturos sanguine.
Quin et sui monumenta domum ad parentes (*mittenda*)
Adrasti currum manibus circumposuerunt, lacrymam
Stillantes: misericordia vero in ore nulla fuit.
Ferreus enim animus virtute excandescens
Spirabat, ut leonum, pugnam cernentium.
Et horum rumor non ignavia protrahitur.
Sortientes vero reliqui, ut forte lectus
Unusquisque ad portas turmam duceret.
Adversus hæc optimos quosque viros delectos urbis
Ad portarum exitus ordina celeriter.
Jam enim prope integre-armatus Argivorum exercitus
Accedit, pulverem excitat, et campos spuma alba
Colorat guttis ex equinis naribus.
Tu vero, tanquam navis peritus gubernator,
Urbem munito, priusquam ingruat spiritus
Martis: (fremit enim fluctus terrestris exercitus)
Et in has res opportunitatem quam celerrime cape.
Cætera ipse fidum diurnum speculatorem
Oculum habebo, ac perspicuitate sermonis mei
Certior factus eorum quæ foris, incolumis eris.
ETE. O Jupiter, et Terra, urbisque custodes dii,
Execratioque, furia patris præpotens,
Ne mihi civitatem funditus perditam
Extirpetis ab hostibus captam, Græciæ sermonem
Fundentem, et domos cum focis vobis dedicatis:
Cadmi vero tum regionem tum urbem liberam
Jugo servili nequaquam cohibeatis:
Estote auxilio; communiter utilia spero me dicere;

Nam civitas prospere agens honorat deos.

CHO. Queror terribilia magna mala,
Accedit acies castra relinquens,
Confluit huc multus populus equestris præcursor,
Pulvis ætherius me docet apparens,
Mutus, manifestus, verus nuntius.
Et somnum excutiens ab equorum ungulis
Campum quatientibus accedit auribus clamor, volat, fremit
Ceu rapidus torrens montano
Flumine decurrens
Eheu, eheu, dii, deæque
Concitatum malum abigite.
Cum clamore ante mœnia
Milites albis clypeis decori
Ruunt ad urbem festinantes.
Quis tandem liberabit,
Quis succurret
Deorum aut dearum?
Num ergo procidam
Ad simulachra numinum?
Heu divi bonas sedes obtinentes,
Tempus est simulachra prehendere.
Quid cunctamur miseræ?
Auditis aut non auditis clypeorum sonitum?
Quando, si id non nunc facimus,
Cum peplis coronisque supplices accidemus?
Sonum persensi; strepitus est haud unius hastæ.
Quid ages? num prodes
Telluris antique (*præses*) Mars,
Propriam terram?
O numen aurea casside, Respice, respice urbem,
Quam olim charissimam habuisti.
O urbi-custodes dii terræ,
Agite omnes,
Aspicite virginum
Catervam pro evitanda
Servitute supplicem.
Nam per urbem fluctus
Virorum cristis obliquis
Cachinnat, flatibus
Martis concitus.
Ast, o Jupiter Perfector, omnimodo
Propulsa hostium expugnationem.

Argivi enim Cadmi oppidum
Cingunt, et timor est armorum bellicorum.
Et illigata maxillis equorum
Cædem stridunt fræna.
Et septem generosi viri præstantes de exercitu
Hastam arcentibus sagis septem portis
Adstant sorte lecti.
Tu vero ô Jove-genitum
Robur amans pugnæ,
Liberatrix urbi sis,
Pallas, et ô equestris
Pontum gubernans rex,
Pisces-figente tridente,
Neptune, solutionem
Metus, solutionem tribue:
Tu quoque Mars, heu heu,
A Cadmo nominatam
Urbem tuere,
Ejusque curam gere evidenter:
Et Venus, quæ [es]
Generis prima mater,
Defende; tuo
Sanguine sati sumus; precibus te
Religiosis invocantes
Adimus. Et tu
Lycee rex, Lupercus
Esto hostili exercitui,
Gemitûs nostri clamoris [causa]; tu vero
Latonigena puella,
Arcum bene instrue
Diana chara. eheu! eheu!
Strepitum curruum circa urbem audio,
O veneranda Juno:
Sonuerunt axium onustarum fistulæ,
Diana chara. eheu! eheu!
Hastis concussus æther furit.
Quid patitur urbs nostra, quid fiet?
Quo tandem finem ducit deus? eheu! eheu!
Acervus lapidum venit in propugnacula, quorum summa petuntur.
O dilecte Apollo,
Strepitus in portis ære-revinctorum clypeo
Et a Jove [missa] sacra cohors
Bellum perfectura.
Tu vero in pugnis beata

Regina Onca pro urbe [te sistens]
Septem patentem portis sedem protege.
Heu omnipotentes dii,
Heu perfecti perfectæque terræ
Hujus turrium custodes,
Urbem bello laborantem ne prodatis
Alienæ linguæ exercitui.
Audite virginum,
Audite justissimam
Protensis manibus precationem,
Heu dilecti dii,
Urbem servantes et tuentes,
Monstrate quam sitis civitatis amantes,
Curate sacra publica,
Curantes vero succurrite:
Et urbis igitur cæremoniarum
Sacrificia frequentantium
Estote nobis memores.

ETE. Vos interrogo, intoleranda propago,
Num hæc optima, et urbi salutaria,
Hujusque exercitus obsessi fiducia,
Procidentes ad simulachra
Clamare, ejulare, sapientibus odiosa natio.
Neve in malis, neve in prosperitate dilecta,
Contubernalis sim muliebri sexui.
Nam si imperat, non ferendus fastus,
Sin metuat, domui et urbi plus (*confert*) mali.
Et nunc civibus trepidas discursationes
Instituentes, excitastis excordem metum:
Res autem eorum qui foris sunt [hostium] quantum fieri potest
Augetis: ipsi adeo a nobismet domi debellamur.
Talia fœminis cohabitans habebis.
Quod si quis meo imperio non audiens fuerit,
Vir, mulierque, aut quodcunque inter hos medium,
Suffragium in eos mortiferum deliberabit,
Nec lapidariam plebis effugiet mortem.
Publica negotia viro sunt curæ, ne consultet fœmina;
Intus vero existens nihil damni importat.
Audisti, aut non audisti, an surdæ loquor?

STROPHE 1.

CHO. O Chare Œdipi fili, inhorrui audito

Currisono strepitu, cum
Modioli strident rotas vertentes, (*strepituque*)
Equinorum in ore clavorum somnum excutientium
Frænorum igne genitorum.

ETE. Quid ergo, nautane in proram fugiens
A puppe, invenit remedium salutis,
Nave marino fluctu laborante?

ANTISTROPHE 1.

CHO. At ad deorum accurro
Simulachra vetera, confisa diis, cum tempestatis
Pernitiosæ ingruentis fremitus in portis [oriretur] continuo
Excitate sum metu ad beatorum supplicationem, urbem
Ut subsidio protegant.

ETE. Oratis ut turris hastam repellat hostium?
CHO. Ergo hæc a diis erunt. ETE. Attamen deos
Capta urbe excedere sermo est.

STROPHE 2.

CHO. Ne mea unquam ætate excedat deorum
Isthæc societas; neque videam
Ad arcem hostium concursum atque oppugnationem,
Ex exercitum hostilem grassantem infesto igne.

ETE. Videne invocando deos male mihi consulas:
Obedientia enim prosperitatis est
Mater, ô mulier, sospitalis; sic se habet sermo meus.

ANTISTROPHE 2.

CHO. Est quidem: diis autem inest vis adhuc præpotentior.
Quæ sæpe in malis inextricabilem
E difficili miseria supra oculos
Impendentem nubem summovet.

ETE. Virorum hæc sunt, vistimas et sacrificia
Diis mactare, hostibus lacessentibus:
Tuum vero vicissim tacere et manere domi.

STROPHE 3.

CHO. Deorum ope urbem incolimus indomitam;

Hostiumque turbam propulsat turris nostra.
Quid hæc aversatur invidia? (i. *cur hæc invide culpas?*)

ETE. Non invideo tibi, deorum quod colas genus:
Sed ne cives excordes reddas,
Quieta esto, neque ultra modum trepida.

ANTISTROPHE 3.

CHO. Subitaneum audiens fragorem,
Trepidante cum metu, hanc in arcem,
Venerandam sedem, me contuli.

ETE. Ne nunc, si forte mortuos aut vulneratos
Sentiatis, lamentis excipiatis.
Hac enim mortalium cæde Mars pascitur.
CHO. Attamen audio equestres fremitus.
ETE. Ne nunc audiens clare audias nimis.
CHO. Gemit scilicet civitas utpote [hostibus] eam obsidentibus.
ETE. Nonne igitur me de his consulere satis est?
CHO. Timeo, pulsatio enim ad portas augetur.
ETE. Non siles? ne quid horum per urbem efferas.
CHO. O numinum societas, ne munimenta prodas.
ETE. Non in malam rem abiens [nonne, perdita,] de his tacere sustinebis?
CHO. Dii urbis præsides, ne [committatis] ut in servitutem incidam.
ETE. Ipsa me et totam urbem in servitutem rediges.
CHO. Omnipotens Jupiter verte in hostes telum.
ETE. Proh Jupiter quale creasti mulierum genus!
CHO. Miserum, æque ac viri sunt quorum capta est civitas.
ETE. Iterum male ominaris attingens simulachra?
CHO. Namque exanimatione linguam rapit metus.
ETE. Utinam roganti leve hoc officium præstares.
CHO. Dicas quam citissime, et cito sciam.
ETE. Tace misera, amicos ne terrefacias.
CHO. Taceo: una cum aliis fatum feram.
ETE. Hoc verbum tuum præ cæteris eligo.
Ac præterea quidem recedens a simulacris
Precare meliora, deos auxiliatores fore:
Meaque audiens vota, mox tu
Cantilenam sacram deos placantem cantato,
Morem illum græcum clamoris sacrificalis,
Audaciam amicis, exuto hostium timore.
Ego vero regionis urbicustodibus diis,

Paganisque, et forum servantibus,
Dircæque fontibus, neque Ismenum excipio,
Rebus bene succedentibus, et urbe salva,
Ovibus (*nos*) cruentantes deorum focos,
Tauros mactantes diis hic voves
Dicaturos trophæa, hostiumque vestes,
Spolia adversariis armorum vi erepta domibus puris.
Talia tu non querula diis voveto,
Neque in vanis et immitibus singultibus.
Nihilo enim magis effugies fatum.
Ego vero viros sex, me cum septimo,
Strenuos adversarios, hostibus magna vi resistentes,
Ad septem munitos exitus ordinatum ibo,
Priusquam nuncii crebri et cito percrebrescentes
Rumores veniant, ac nos præ necessitate accendant.

STROPHE I.

CHO. Cura est, præ metu vero non quiescit animus:
Nam propinquæ cordi solicitudines
Incendunt timorem, (*metuo*)
Circundantem mœnia populum,
Velut draconem pro pullis
Metuit cubilium
Infelix,
Columba quæ fœtus suos omnes alit.
Alii enim ad propugnacula
Universis copiis, universis ordinibus
Accedunt. quid me fiet?
Alii vero in undique percussos cives
Injiciunt lapides asperos.
Omni modo, ô Jovigenæ
Dii, urbem et aciem
Cadmigenam protegite.

ANTISTROPHE I.

Quale admigrabitis terræ solum
Hoc melius, cum hostibus reliqueritis
Hanc feracem terram,
Et aquam Dircæam
Saluberrimum fluviorum,
Quotquot mittit Neptunus
Terram continens,
Tethyosque liberi?
Porro ô urbicustodes

Dii, iis qui extra
Turres (*sunt*) viros perdentem
Et arma abjicientem noxam
Immittentes. parate
Gloriam: civibus vero
Urbis liberatores,
Et firmiter sedibus adhærentis immaneatis
Ob preces lugubres.

STROPHE 2.

Miserabile enim erit urbem hanc antiquam
In orcum præmature dimittere, hastæ prædam,
Servientem sordido pulveri,
A viro Achæo divinitus immisso
Indigne vastatam,
Captivas duci,
Heu, heu, heu! puellas et vetulas,
Equorum instar, per comas,
Circumscissis vestibus.
Clamat vero (*quasi*) vacua civitas,
Captivis inter promiscuum strepitum pereuntibus;
Graves igitur miserias pertimesco.

ANTISTROPHE 2.

Lachrymabile vero est virginibus modo pubescentibus
Ante solennia (*connubialia*) crudam (*virginitatem*)
Decerpentia [i. e. justas nuptias] a domibus suis odiosum iter peragere.
Quid? mortuum enim dico
Melius his se habere.
Multa enim, quando expugnatur civitas, heu!
Et quidem infelicia patitur.
Alius alium rapit,
Cædit, hic ibi et incendium facit.
Fumo autem polluitur urbs tota:
Et furibundus spirat populi domitor
Inquinans pietatem Mars.

STROPHE 3.

Strepitus per civitatem;
Ad urbem vero septum turritum (*accedit.*)
A viro vir hasta interficitur:
Et balatus cru

Lactentium
Pueriles strepunt.
Rapinæ discursibus affines fiunt:
Rapiens rapienti occursat,
Et vacunm vacuus vocat,
Participem habere volens,
Nec minorem nec æqualem (*partem*) cupientes
Qualia ex his conjicere ratio adest?

ANTISTROPHE 3.

Omne genus fructuum
In terram cadens molestiam præbet occurrens:
Acerbus aspectus cellariarum:
Plurima vero miscellanea
Terræ dona inutilibus
Feruntur fluctibus.
Famulæque miseriis inassuetæ juvenes
Miseræ sunt ob lectum captivum
Viri felicis. Adeo ut
Sub immiti domino
Spes est nocturnum finem [i. e. mortem] adventurum
Lachrymabilium dolorum liberatorem.

SEM. Quin speculator, ut videtur, exercitus
Rumorem aliquem nobis, o amicæ, novum affert,
Festino gressu adproperans deducentes axes pedum.
SEM. Quin etiam ipse rex Œdipi filius
Incedit, recentem nuncii sermonem ut audiat.
Festinatio vero hujus non sinit gradum absolvere.
NUN. Narrare possum utpote probe sciens, res hostium,
Quem quisque ad portas sortitus est locum.
Tydeus quidem jamjam apud portas Prœtides
Fremit: sed Ismeni vadum transire non patitur
Vates. haud enim fausta sunt exta.
At Tydeus furens et pugnæ cupidus
Vociferatur, uti serpens calore meridiano excitus.
Pungit vero probris vatem Œclidem sapientem,
[Criminans eum] adulari [callido quodam prætextu devitare] mortem et pugnam ignaviâ
Talia vociferans cristas tres umbrosas
Quatit, cassidis jubam, ab hujus clypeo
Ærea clangunt terrorem tintinnabula:
Habet vero superbum hoc insigne in scuto,
Fabricatum cœlum astris resplendens:

Splendidumque plenilunium in scuto medio
Venerandissimum siderum, noctis oculus, eminet.
Hoc modo se efferens superbis armamentis
Clamat apud ripas fluminis: pugnam autem expetens
Velut equus contra fræna sæviens, expectat,
Qui clangorem tubæ expectans concitatur.
Quemnam huic oppones? quis Prœti portis,
Claustris apertis, se propugnaturum esse spondebit?

ETE. Ornatum quidem ipse viri timeo nullum;
Neque vulnera impingunt insignia,
Cristæ et tintinnabulum non mordent absque cuspide.
Et nox ista, quam dicis cœli sideribus
Illustrem in clypeo effictam esse,
Forsan erit ominosa stultitia alicui.
Si enim morienti nox in oculos cadat,
Illi ferenti signum hoc fastuosum,
Esset recte justeque denominatum,
Et ipse in semet opprobrium vaticinaretur.
At ego Tydeo probum Astaci filium
Hunc opponam portarum propugnatorem,
Generosum admodum, et pudoris thronum
Venerantem, aversatumque insolentes sermones.
Nam in turpibus lentus, non tamen ideo ignavus esse amat.
Sed a viris terra satis, queis Mars pepercit,
Velut a radice pullulavit, et est revera indigena
Melanippus; pugnæ vero eventum in aleis Mars decernet.
Justitia autem consanguinea illum potissimum mittit [i. e. incitat]
Ad avertendum matri, quæ eum peperit, hostilem hastam.

STROPHE I.

CHO. Meum propugnatorem fortunatum esse
Dent dii, quoniam justus civitatis
Defensor exurgit: tremo vero
Sanguiferas neces amicorum
Pereuntium videre.

NUN. Huic quidem ita feliciter agere faxint dii.
Capaneus vero Electras portas sortitus est,
Gigas hic, altero quem modo dixi
Major, et ejus jactantia haud hominem sapit:
Turribus minatur atrocia, quæ non perficiat fortuna
Nam deo lubente se expugnaturum urbem

Et non lubente ait, neque Jovis
Iram terram percutientem impedituram.
Fulgura vero et fulmineos ictus
Meridianis assimilavit caloribus.
Insigne autem habet, virum nudum igniferum,
Cui vibrata [parata] in manu fax ardet:
Aureis autem dicit literis, COMBURAM URBEM.
Tali autem viro mitte aliquem. Sed quis cum eo congredietur?
Quis virum superbientem non timens manebit?

ETE. Et huic lucro lucrum paritur aliud.
Vanarum hominibus jactationum
Lingua vera est accusatrix.
Capaneus minatur, ad agendum paratus,
Deos blasphemans, et os exercens
Gaudio frustraneo, mortalis existens, in cœlum
Mittit, æstuantia verba, quæ Jupiter audire possit.
At spero illi jure igniferum
Venturum fulmen, nihil simile
Meridianis caloribus solis.
Adversus eum, licet nimium sit garrulus [fortasse, ad loquendum segnis,]
Vir animi fervidus ordinatur, fortis Polyphontes.
Idoneum præsidium, tutelaris
Dianæ favore, cæterisque cum diis.
Dic alium alias sortitum portas.

ANTISTROPHE I.

CHO. Pereat qui magna imprecatur urbi,
Fulminisque telum eum arceat,
Antequam meam irruat in domum, et a virgineis
Sedibus superba
Hasta exturbet.

NUN. Quinetiam eum, qui deinde sortitus est portas,
Dicam. tertio enim Eteoclo tertia sors
Exsiliit e supina ærea casside,
Neitidibus portis ut cohortem admoveat.
Et equos in phaleris ferocientes
Circumagit, in portas irruere cupientes.
Sed cami strident barbarorum more,
Ferocientium narium efflatibus pleni.
Effigiatus autem est clypeus haud vulgari modo:
Vir namque armatus scalæ per gradus

Aggreditur hostium turrim, expugnare cupiens,
Hic etiam clamat literarum in syllabis,
Quod ne Mars ipse eum repellat turribus.
Et huic viro mitte æqualem aliquem,
Qui ab urbe hac arceat servile jugum.

ETE. Mittam jam hunc, feliciter quidem:
Et mittitur, non ornatum superbum [jactationem] in manibus habens,
Megareus Creontis seminium, genere satorum terra,
Qui neque furentium equestrium hinnituum
Fremitum timens portas destituet:
Sed aut moriens terræ nutrimenti referet gratiam,
Aut duo viros et urbem in scuto
Capiens, exuviis paternam ornabit domum.
Jactes de alio, nec mihi dicendo parcas.

STROPHE 2.

CHO. Tibi quidem omnia precor bene, ô defensor
Mearum domorum, illis vero male succedere.
Utque jactabunda verba proferunt in urbem
Insaniente animo, sic eos Jupiter
Vindex iratus respiciat.

NUN. Quartus alius, proximas portas habens
Oncæ Minervæ, cum clamore adstat,
Hippomedontis figura et forma ingens:
Halonem vero magnum, (clypei orbem dico,)
Horrui eo rotante; aliter (*a vero*) non loquor.
Anaglyphorum vero faber sane haud vulgaris aliquis fuit,
Quicunque hoc opus inseruit clypeo,
Typhœum emittentem ignivomum per os
Fumum nigrum, velocem ignis fratrem:
Sed serpentum gyris rotunda area
Capacis [concavi] circuli clypeum ambientis instrata est.
Ipse autem acclamabat, et Martis numine afflatus,
Bacchatur ad pugnam, Thyados instar, terrorem oculis incutiens.
Talis viri conatus caute observandi.
Quippe jam ad portas terrorem jactationibus minatur.

ETE. Primum quidem Onca Pallas, suburbana
Portis vicina, viri odio habens contumeliam,
Arcebit ut a pullis draconem perniciosum:
Hyperbius autem prudens Œnopis filius,

Vir virum contra electus est, volens
Experiundo cognoscere fatum in periculo fortunæ;
Neque forma, nec animo, nec armorum apparatu
Culpandus: Mercurius vero convenienter alterum cum altero composuit.
Inimicus enim vir viro huic constituetur:
Conferent autem adversarios in clypeis
Deos. etenim ille ignivomum Typhœum habet;
Hyperbio vero Jupiter in parma pater
Stator sedet, in manu telum ardens: [ignitum telum jaciens]
Nec unquam vidit quisquam Jovem victum ullibi.
Talis scilicet est istorum deorum amicitia.
Sed cum victoribus nos sumus, illi cum victis,
Siquidem Jupiter Typhoëo in pugna superior est.
Credibile igitur est hoc modo illos adversarios rem gesturos
Hyperbio etiam, ratione insignis,
Servator erit Jupiter qui in clypeo est.

ANTISTROPHE 2.

CHO. Confidi eum, qui Jovi adversarium habet,
Et invisum in scuto terra-obruti dei corpus gerit,
Inimicum simulachrum mortalibus
Longævisque diis, ante portam
Caput confracturum.

UN. Ita fiat. rursus quintum dico
Constitutum ad quintam borealem portam,
Juxta ipsum sepulchrum Jovigenæ Amphionis.
Jurat vero per hastam, quam habet, eam magis quam
Deum venerare confidens [audens,] oculisque chariorem,
Se perditurum urbem Cadmæorum, vel invito
Jove. hoc clamat monticola ex matre
Germen pulchriforme, virilis puer.
Et jam inserpit lanugo per malas
Crescentis pubertatis, densus exoriens pilus.
Ipse vero sævam, nec virginali nomini congruam
Mentem, trucemque oculum habens adstat.
Non tamen sine jactatione portis imminet,
Urbis enim nostræ probrum, in ærato
Scuto, rotundo corporis munimento,
Sphingem crudivoram affixam
Clavis portabat, splendidum horrendum corpus;

Quin subter ipsam fert hominem e Cadmæis unum,
Ut plurima in virum hunc conjiciantur tela.
Cum venerit vero, videtur non cauponaturus pugnam,
Nec longi itineris dedecoraturus viam
Parthenopæus Arcas: vir talis,
Advena, Argis rependens gratiam nutriciam,
Turribus hisce minatur, quæ non perficiat deus.
ETE. Quod si consequantur, quæ cogitant, a diis
Cum ipsis hisce impiis jactationibus,
Funditus et pessime pereant.
Est autem adversus hunc quem dicis Arcada,
Vir minime jactabundus, at manus novit exsequi,
Actor, illius frater quem modo diximus,
Qui non sinet linguam absque aggere
Intra portas fluentem augere mala,
Neque intrare eum qui feræ, inimicissimæ beluæ,
Imaginem fert hostili in clypeo.
Ab extra intus (*se*) ferentem (*ipsa*) objurgabit,
Crebros assequuta ictus sub urbem.
Volentibus Diis hæc ego vera pronuntiem.

STROPHE 3.

CHO. Sermo (*hic*) pectus penetrat,
Stant arrectæ comæ,
Auditis magnis [conviciis] superbiloquentium
Impiorum hominum; utinam dii
Hos perdant in terra.

NUN. Sextum dicam virum modestiorem [quam illos]
Fortissimumque, Amphiaraum vatem.
Qui ad portas Homoloides constitutus,
Probris insequitur multum Tydea,
Illum homicidam, illum urbis turbatorem (*vocans*)
Maximum Argivis malorum magistrum,
Erinnyos præconem, ministrum cædis,
Horumque malorum Adrasto consultorem:
Tuumque rursus fatalem fratrem
Polynicem ex ipso nomine interpretatus, [resupinans]
Bis in extremâ parte nomen dividens
Vocat, hoc vero dicit ex ore verbum:
Profecto tale facinus et diis gratum,
Pulchrumque auditu et dictu posteris,
Urbem paternam et deos indigenas

Vastare, inducendo aciem exteram !
Matrisque fontem quodnam jus exsiccabit ?
Patriaque terra tua a cupiditate hasta
Subacta quomodo amica tibi fuerit ?
Ego vero hoc impinguabo solum
Vates hostili sub terra conditus.
Pugnemus, non inglorium spero lethum.
Talia vates, clypeum rotundum movens
Ex ære solido, dixit. insigne vero non inerat orbi [clypei :]
Non enim optimus videri, sed esse volet,
Profundo mentis sulco fruens,
Ex quo modesta germinant consilia.
Adversus hunc sapientes et probos adversarios
Ut mittas suadeo. timendus est qui deos colit.
ETE. Proh alitem (*auspicium*) qui consociavit mortalibus
Virum justum impiissimis !
At in omni negotio malo consortio
Pejus est nihil, fructus non congerendus,
Ager nequitiæ mortem pro fructu fert.
Nam si vel navem conscenderit pius vir
Cum nautis improbis, et nequitiâ aliquâ,
Perit cum genere hominum diis inviso :
Vel si quis justus sit cum civibus
Inhospitalibusque et deorum immemoribus,
Cum in eundem divinitus inciderit (*obsidionis*) cassem,
Communi dei flagello percussus perit.
Sed iste Vates (dico Œclei filium)
Prudens, justus, probus, pius vir,
Magnus propheta, mistus impiis
Audaciloquis viris, invito animo,
Contendunt longo itinere reverti,
Jove volente, una deorsum trahetur.
Arbitror igitur ipsum ne quidem invasurum portas,
Non quasi esset excors, nec indoles ignavia
At novit quod se oportet occumbere pugna,
Si oraculis Apollinis erit fructus [i. e. exitus]
Amat hic quidem tacere, vel tempestiva loqui.
Illi tamen virum Lasthenem,
Aversantem exteros, custodem portæ opponemus,
Senilem mentem, at corpus juvenile gerit,
Pernix (*ei*) oculus, neque manu cunctatur
A sinistro latere nudatam arripere hastam.
Dei vero est donum mortalibus feliciter agere.

ANTISTROPHE 2.

CHO. Exaudientes dii justas precos
Nostras, efficite ut feliciter agat civitas,
Hastis nocentia [i. e bellica] mala hac avertentes terra in
Advenas, extra vero turres propulsam
Jupiter ipso fulmine perimat.
NUN. Nunc septimum qui ad portam est septimam
Dicam, illum fratrem tuum, (*et ostendam*) urbi
Qualia optat et imprecatur infortunia:
Ut turres ingressus, et rex huic terræ declaratus,
Pæana captivitatem celebrantem cum clamore canens,
Tecum congrediatur, et postquam occiderit, moriatur juxta,
Aut ut te viventem tam in se contumeliosum expulsorem
Exilio hoc eodem ulciscatur modo.
Talia vociferatur, et deos indigenas
Invocat paternæ terræ, ut spectatores precum
Suarum omnino sint, Polynices.
Scutum autem habet rotundum recenter fabricatum,
Et duplex artificiose affixum insigne.
Auro insignem hominem armatum
Ducit mulier quædam modeste præiens;
Justitia sane dicitur, sicut literæ
Referunt: (*aitque*) REDUCAM VIRUM HUNC, ET URBEM HABEBIT PATERNARUMQUE ÆDIUM ALTERNAS VICES.
Talia sunt illorum inventa.
Ipse vero jam cogita quem mittendum putes:
Ut nunquam me ob ea quæ nuntio
Culpes, sed ipse vide quomodo gubernes urbem.
ETE. O divino instinctu furens et deorum ingens odium!
O perquam lachrymabile meum Œdipi genus!
Hei mihi! jam nunc imprecationes patris ratæ sunt.
Sed neque flere, nec lamentari decet,
Ne pariatur luctus intolerabilior.
Sed Polynici, recte ita nominato, dico:
Brevi videbimus insignia quo vertent;
Utrum illum reduxerint auro elaboratae literæ
In clypeo effutientia cum rabie mentis.
Et si Jovis quidem filia virgo justitia adesset
Operibus ejus et menti, forsan hoc eveniret:
Sed neque ipsum cum effugisset a matris utero
Tenebras, neque in lactatu, neque pubescentem,
Neque in barbæ collectione lanuginis,

Justitia vel aspectu dignata est; [aspexit, et eum dignum esse judicavit;]
Neque in paternæ terræ usurpatione iniqua
Puto ipsam ei prope adsistere.
Revera esset justissime falso nominata
Justitia, si a partibus staret viri audacissimæ mentis.
His fretus vadam, et cum eo congrediar
Ipse. quisnam alius magis idoneus?
Cum imperatore imperator, cum fratre frater,
Hostis cum hoste stabo; fer quam cito
Ocreas, hastam, et munimenta adversus lapides.
CHO. O charissime virorum nate Œdipi ne sis
Irâ similis ei qui pessime audit:
Sed viros Cadmæos cum Argivis sat est
Ad manus veniret; sanguis enim horum est expiabilis:
Fratrum autem uterinorum mutua cædes [si fiat,]
Nunquam profecto senescet hoc piaculum.
ETE. Si quis malum ferat sine dedecore,
Esto; solum enim lucrum in mortuis.
At malorum et turpium nullam dices gloriam.

STROPHE 1.

CHO. Quid insanivisti fili? ne te irarum plena
Hasta furens noxa abripiat:
Mali vero amoris abjice exordium.

ETE. Quando ad hoc negotium valde instigat deus,
Eat secundo vento fluctum Cocyti assequutum
Phœbo invisum omne Laii genus.

ANTISTROPHE 1.

CHO. Acerba nimis te ira instigat
Acerbum fructu patrare homicidium
Sanguinis illiciti.

ETE. Etenim mihi inimica chari patris perfica
Execratio siccis inflebilibus oculis assidet,
Dicens mihi mortis subsequentis lucrum prius.

STROPHE 2.

CHO. Sed tu ne incitere: non vocabere timidus
Si vitam honeste servaveris: atram procellam ciens
Non ingreditur Erinnys domum (*illius,*) neque ex manibus
Dii sacrificium accipient.

ETE. Diis quidem etiamnum neglecti sumus:
Gratia vero mortis nostræ in pretio est.
Quid ergo adhuc perniciosam adulemur necem?

ANTISTROPHE 2.

CHO. Imo nunc cum tibi adstat; quoniam genius
Voluntatis mutatione diuturna reconciliandus,
Forsan veniet leniori
Spiritu, adhuc vero fervet.

ETE. Etenim efferbuerunt Œdipi imprecationes:
Nimisque vera in somno phantasmatum
Visa, paternas facultates dividentia.
CHO. Mulieribus, licet non eas ames, obtempera.
ETE. Dicite igitur quæ perfici possint; neque longe oportet.
CHO. Ne hac via ad septimam portam exeas.
ETE. Acutum non me sermone obtundes.
CHO. Victoriam equidem licet ingloriam honorat deus.
ETE. Non decet virum armatum hunc sermonem comprobare.
CHO. Sed num tu fraternum cupis profundere sanguinem?
ETE. Diis concedentibus haud effugiet mala.

STROPHE 1.

CHO. Horrui domum perdentem
Deam, diis neutiquam similem,
Veracissimam, mala præsagientem,
Erinnyn a patre invocatam
Perfecturam iracundas
Execrationes vesani Œdipodis:
Filios-perdens Contentio hæc urget.

ANTISTROPHE 1.

Peregrinus vero sortes versat
Chalybs, Scytharum colonus,
Possessionum divisor
Acerbus, crudelis ferreus gladius,
Tantum terræ ad incolendum sortito impartiens,
Quantum, cum occiderint, occupare possint,
Magnorum agrorum expertes.

STROPHE 2.

Quod si fratres isti mutua cæde
A se invicem perempti occubuerint,
Terreusque pulvis biberit

Nigrum ex cæde cruenta sanguinem,
Quis expiationes præbeat?
Quis ipsos lavet?
O novi labores domus
Antiquis malis commisti!

ANTISTROPHE 2.

Antiquam enim dico
Transgressionem cito-punitam:
Ætatem vero usque ad tertiam manet,
Quando Laius, Apolline
Invito, qui ter dixerat, in
Umbilicariis Pythicis
Oraculis, quod, si moreretur
Sine liberis, servaret urbem:

STROPHE 3.

Victus vero amicorum malis consiliis,
Genuit sibimet interitum,
Parricidam Œdipum,
Qui matris incestum
Seminare arvum, ubi nutritus fuerat,
Radicem sanguineam,
Sustinuit. Amentia conjunxit
Conjuges amentes.

ANTISTROPHE 3.

Malorum autem velut mare fluctum volvit;
Hic quidem cadit, alius vero exsurgit
Trifidus, qui etiam circa proram
Urbis cachinnat.
Interea præsidio brevi
Extenduntur mœnia in latitudine.
Vereor itaque ne cum regibus
Pereat civitas.

STROPHE 4.

Adimpletæ enim sunt olim prolatæ execrationes,
Difficilis [inter fratres] reconciliatio
Pernicies semel orta non præterit.
Jacturam autem e puppi factam fert
Virorum solertium
Felicitas nimis coacervata.

ANTISTROPHE 4.

Quem enim virorum tantum admirati sunt
Dii, et incolæ urbis,
Et opulenta ætas mortalium,
Quantum tunc Œdipum honorarunt,
Qui hominum rapacem
Feram e regione sustulerat?

STROPHE 5.

Postquam vero miser conscius factus
Fuit infelicium
Nuptiarum, præ dolore ægre ferens,
Vesanienti corde
Gemina perpetravit mala
Parricida manu,
Ab oculis potentiorum filiorum se subduxit.

ANTISTROPHE 5.

Filiis vero diras
Imprecatus est, iratus ob educationem,
(Heu heu diras ab acerba lingua profectas!)
(*Et precatus est*) ut per ferrum distribuente
Administratione sortirentur
Possessiones: nunc autem tremo
Ne hæc perficiat pedes mobilis [pernix] Erinnys.

NUN. Confidite filiæ matrum alumnæ.
Effugit hæc civitas servile jugum:
Ceciderunt virorum ferocientium jactationes
Urbs vero in tranquillo est, et fluctum
Crebris ictibus aquam non admittit, [non submersa est.]
Sustinuere [hostium impetum] turres et portas idoneis [qui fidem in iis positam non fefellerunt.]
Munivimus duellicis propugnatoribus.
Bene habent plurima in sex portis quidem;
Septimam vero reverendus septimæ (*diei*) præfectus
Rex Apollo occupavit, Œdipi generi
Perficiens [ad exitum perducens] antiquam Laii imprudentiam.
CHO. Quidnam hoc novi est quod urbi accidit?
NUN. Servata est civitas, reges vero una sati
Viri occubuerunt invicem a suis manibus.
CHO. Quinam? quid dixti? verbi dementor metu.
NUN. Mentis compos nunc audito, Œdipi genus ——

CHO. Me miseram! vates sum malorum.
NUN. Neque vero dubium est, eos in pulvere volutatos esse.
CHO. Eone venerunt? gravia igitur, dicas tamen.
NUN. Ita fraternis manibus interfecti sunt atrociter.
CHO. Sic fatum commune erat ambobus simul.
NUN. Illud revera miserum sustulit genus.
Hisce lætari et lacrymari præsto est:
Quod civitas quidem feliciter agat, (*lætari, lachrymari*
Vero) quod præfecti gemini duces sortiti sunt
Scythico ferro malleo ducto possessionum totam hæreditatem.
Possidebunt vero quam accipient in sepulchro terram,
Patris secundum vota infelicia subrepti.
Servata est civitas: regum vero congenerum
Bibit cruorem terra mutuo cæsorum.

CHO. O magne Jupiter et urbicustodes
Dii, qui has Cadmi arces
Defenditis:
Utrum gaudeam et hymnum canam
Urbis servatori, qui eam incolumem præstitit, [damnum avertenti]
An miseros atque infelices
Sine liberis (*mortuos*) deflebo duces?
Qui recte secundum nominis omen
Et contentionum studiosi
Perierunt impio consilio.

STROPHE.

O atra et perfica
Generis Œdipi imprecatio,
Malus aliquis cor meum occupat rigor:
Lugubre carmen feci tumulo
Velut Thyas, sanguinem stillantes
Mortuos ut audii infeliciter
Morientes. Certe infausto omine
Hic congressus hastæ factus est.

ANTISTROPHE.

Effectum habuit, nec defecit
Vox patris diras continens:
Consiliaque infida Laii penitus sufficerunt.
At sollicitudo circa urbem
Et oracula non retusa sunt. [haud vana fuerunt.]

Heu ærumnabiles hoc patrastis incredibile;
Advenerunt deflendæ
Calamitates non verbo (*sed revera.*)

Hæc enim ex se apparent, manifestus est nuntii sermo.
Curæ duplices, duorum virorum
Mala et mutua homicidia, duplicia,
Perfectæ hæc calamitates. quid dicam?
Quid aliud nisi labores laborum
Domorum harum sunt incolæ.
Sed querelarum, o amicæ, secundum auram
Excitate [impellite] circa caput manuum strepitum
Funus comitantem, qui semper per Acherontem deducit
Infaustam nigra habentem vela cymbam,

In illam non calcatam Apolline, solis expertem,
Omnium (*hominum*) capacem, tenebricosam Orci regionem.

Verum adveniunt in hoc negotium
Acerbum, Antigone et Ismene;
Lamentationem fratribus, non dubie
Arbitror ipsas ex profundis amabilibus
Pectoribus missuras dolorem dignum.
Æquum autem est ut nos priusquam illæ vociferentur
Et lugubriter sonantem hymnum Erinnyos
Resonemus, Orcoque
Ingratam pæana occinamus.
SEM. Heu omnium infelicissimæ sorores, quotquot
Zonam vestibus circumjiciunt!
Fleo, gemo, et dolus nullus
Quin ex animo sincera ejulem.

SEM. Heu heu insani,
Amicis non obsequentes, et malis indomiti,
Paternas domos
Obtinere volentes miseri ferro.
SEM. Miseri prorsus qui miserum lethum
Invenerunt domus in perniciem.
SEM. Heu heu domuum
Eversores mænium, et acerbas monarchias
Qui videbatis, jam litem
Diremistis cum ferro,
Non jam amplius de benevolentia,
Sed de cæde decertastis:
Veras admodum patris Œdipi diras

Perfecit veneranda Erinnys.
SEM. Per sinistra icti.
SEM. Icti sane, et
Cansanguinea latera.
SEM. Heu heu infelices,
Heu heu mutuorum
Lethorum imprecationes.
SEM. Plagam dicis penitus perforantem.
SEM. Et ædibus et corporibus
Percussos dico.
SEM. Infando furore
Maledictoque a patre
Fato ex contentione orto.
SEM. Percurrit vero et urbem
Luctus, lugent turres.
Luget vero viros amans regio.
Manebuntque possessiones nepotibus,
Propter quas infelicibus
Propter quas dissidium erat,
Et mortis exitus.
Partiti autem sunt feroces
Possessiones, ut æqua pars utrique cederet;
Sed neque reconciliatori defuit reprehensio ab amicis,
Neque bellum gratum fuit.
SEM. Ferro percussi quidem ita se habent.
SEM. Ferro percussæ et istos manent,
Dicat aliquis, quænam?
Tumulorum paternorum sortitiones.
SEM. Ex domo validum sonum in ipsos
Emittit lacerans animum luctus, proprio
Dolore gemens, propriam calamitatem reputans,
Corpori infesta, non amans lætitiam, vere
Lachrymas fundens ex anima, quæ
Mihi flenti minuitur,
Ob hosce duos reges.
Fas vero est dicere de
Miseris, quod fecerint
Multa mala civibus,
Et exterorum omnium turmis
Multum perientibus in bello.
SEM. Infelix quæ eos peperit
Præ omnibus fœminis,
Quotcunque proliferæ dictæ sunt.
Filium proprium in maritum sibi concilians,
Hos peperit, hi vero in hunc modum occubuerunt,

Manibus consanguineis mutuo cædentibus.
SEM. Consanguineæ quidem sed et exitiosæ
Conscissionibus inamabilibus,
Contentione furenti
In exitu litis.
Cessat vero inimicitia,
Inque terra vita
Sanguiflua commiscetur;
Plane sunt consanguinei.
SEM. Acerbus contentionum arbiter transmarinus
Peregrinus ex igne profectus,
Acutum ferrum: acerbus vero
Facultatum malus
Distributor Mars, execrationem
Patris ratam faciens.
SEM. Habent partem quam sortiti sunt, o miseri,
A Jove missorum malorum:
Et subter corpus terræ
Divitiæ inexhaustæ erunt.
SEM. Heu multis abundantes
Cladibus ædes:
Postremo vociferatæ sunt
Diræ acuta voce carmen,
Eversi effusissima
Fuga generis (*Œdipi.*)
Erexitque noxæ
Trophæum ante portas
A quibus cædebantur, et cum utrunque devicerat,
Quievit Deus.
ANT. Percussus percussisti. ISM. Occidens occidisti
ANT. Hasta peremisti. ISM. Hasta periisti.
ANT. Miseranda machinatus. ISM. Miseranda passus.
ANT. Meent luctus. ISM. Meet lachrymæ.
ANT. Procumbet (*ante ædes*) qui peremit.
Heu heu insanit præ luctu mens.
ISM. Intus vero cor ingemiscit.
ANT. Heu heu tu multis lachrymis flende.
ISM. Tu rursus et miserrime.
ANT. Ab amico occisus es.
ISM. Et amicum occidisti.
ANT. Gemina loqui. ISM. Gemina et videre.
ANT. Talibus doloribus nos propinquæ sumus.
ISM. Sororesque prope fratres.
ANT. Heu parca luctifera infelix,
Et veneranda Œdipi umbra,

Nigraque Erinnys certe valde-potens es.
ISM. Heu heu tristes visu calamitates
Monstravit post exilium mihi.
ANT. Nec tamen advenit [i. e. rediit] postquam eum peremit.
ISM. Et qui salvus erat spiritum perdidit.
ANT. Perdidit quidem. ISM. Et hujus spiritum eripuit.
ANT. Miserum genus. ISM. Miseros et passus est
Luctuosos dolores nomini suo congruentes.
ANT. Madentia vehementissimis malis.
ISM. Perniciosa dictu. ANT. Perniciosa visu.
Heu Parca luctifera infelix,
Et veneranda Œdipi umbra,
Nigraque Erinnys, certe valde-potens es.
Tu nempe trajiciens [i. e. huc proficiscens] intellexisti.
ISM. At tu [Eteocles] nihilo serius didicisti.
ANT. Postquam ad urbem pervenires.
ISM. Huic cum hasta oppositus.
ANT. Perniciosa dictu. ISM. Perniciosa visu.
ANT. Proh dolor qui nobis adest. ISM. Proh mala et
Domui et telluri, et præ omnibus mihi.
ANT. Heu heu et mihi prius.
ISM. Heu miserandorum malorum
Author rex Eteocles.
ANT. O omnium maxime lugendi.
ISM. O furentes in calamitate.
ANT. Heu qua illos terræ parte ponemus?
ISM. Heu ea quæ maxime honorifica.
ANT. Heu malum juxta patrem accubiturum.

PR. Promulgare me oportet consulta et decreta
Populi consiliariis hujus Cadmeæ urbis:
Eteoclem quidem hunc ob benevolentiam erga
Solum inhumare decretum est amicis terræ fossis;
Exosus enim hostes, mortem tulit pro urbe;
Sacrorumque patriorum purus existens absque culpa
Oppetiit, ubi juvenibus pulchrum est mori.
Sic quidem quod ad eum spectat mandatum est
Dicere. Illius vero fratrem hunc Polynicis cadaver
Foras ejicere inhumatum, prædam canibus,
Tanquam destructorem Cadmeæ terræ,
Nisi deorum aliquis obstitisset hastæ
Ipsius. piaculum et mortuus possidebit
Deorum patriorum, quos ille inhonorans,
Exercitum peregrinum admovens urbem capturus fuit.
Sic volitantibus a alitibus visum est

Sepultus inhonore, mercedem ut accipiat; et neque
Eum comitentur officia ad tumultum effundarum libationum,
Neque quisquam eum honoret cantilenis lamentatoriis,
Sed ut infamis ne ab amicis quidem efferatur.
Talia sunt a Cadmeorum magistratu decreta.

ANT. Ego vero Cadmeorum præfectis dico,
Si nullus alius huncce sepelire voluerit,
Ego ipsum inhumabo, et me in discrimen conjiciam,
Sepeliendo fratrem hunc meum, nec me pudebit
Præbere inobedientem hanc anarchiam urbi.
Magnam vim habent communia viscera, quibus
Nati sumus, matris miseræ, et infelicis patris.
Quare volens, ô anima, cum invito,
Viva cum mortuo, particeps esto mali mente congeneri.
Hujusce carnes neutiquam voraces
Lupi discerpent; ne ita videatur alicui.
Tumulum enim ipsi et fossas ego,
Quamvis fœmina sim, huic fabricabo,
In sinu ferens pepli byssini,
Et ipsa obtegam; ne quis contra sentiat:
Confide, aderit efficax solertia.

PR. Dico, urbem ne tu his violes.

ANT. Dico, mihi ne tu superflua prædices.

PR. Asper quidem populus cum effugerit mala.

ANT. Exaspera et tu, inhumatus vero ille non erit.

PR. Sed quem odio habet civitas tune honorabis tumulo?

ANT. Nondum hic a Diis dehonestatus est.

PR. Non, priusquam terram hanc in periculum conjecerit.

ANT. Male tractatus mala rependit.

PR. Verum in omnes pro uno hoc factum erat.

ANT. Contentio sermonem perficit ultima deorum.
Ego hunc sepeliam; ne sermones trahas.

PR. At scito tuis consiliis (*te hoc facturam*) ego autem renuncio.

SEM. Heu heu, o superbe exultantes et exitiales
Fatales Furiæ, quæ Œdipi
Genus adeo funditus perdidistis.

ANT. Quid patiar? quid agam? quid consilii capiam?
Quomodo sustinebo neque te flere,
Nec ad tumulum comitari?
Sed metuo et avertere cupio
Terrorem civium.

SEM. Tu quidem multos qui te flebunt
Habebis; ille autem miser indefletus,

Unicum sororis lessum obtinens
Ibit. quis his acquiescet ?
SEM. Faciat (*quod decrevit*) civitas, aut non faciat
(*Contra*) lugentes Polynicem.
Nos tamen ibimus, et consepeliemus
Funus comitantes. nam generi
Communis dolor est, et civitas aliter
Alias laudat quæ justa sunt.
SEM. Et nos cum illo, ut et civitas
Et jus ipsum simul comprobat
Nam post immortales deos et robur Jovis,
Hic Cadmeorum urbem liberavit
Ne everteretur, neve extraneorum
Fluctu virorum
Penitus submergeretur.

PERSÆ.

DRAMATIS PERSONÆ.

CHORUS SENUM.
ATOSSA.
NUNCIUS.
IDOLUM DARII.
XERXES.

Prologum agit Chorus.

PERSÆ.

CHORUS.

Nos quidem Persarum profectorum
In Græciam dicimur fiduciarii,
Et divitum auroque abundantum
Sedium custodes, quos præ senectute
Ipse rex Xerxes imperator
Dario genitus
Elegit ad inspectandum [curam tutelamque gerendam] regnum.
Verum de reditu regis
Exercitusque auro divitis
Male præsagiens valde tumultuatur
Intus animus.
Robur enim omne Asiaticum
Abiit: at juvenem virum clamore poscit (*Asia.*)
Et neque ullus nuntius, nec eques ullus
Urbem hanc Persarum adit:
Quique, Susis et Ecbatanis
Et antiqua Cissina arce
Relictis, profecti sunt, partim equis,
Partim navibus, pedites pedetentim
Belli molem præbentes:
Qualis Amistres, atque Artaphrenes
Et Megabazes atque Astaspes,
Persarum duces,
Reges regi magno subditi
Ruunt, aciei numerosæ præfecti,
Arcu interficientes ac equites,
Terribiles quidem visu, atroces vero pugna
Obfirmato animi proposito.
Artembaresque equis gaudens
Et Masistres, arcuque domans
Strenuus Imæus, Pharandacesque,
Et equorum-agitator Sosthenes.
Alios vero magnus et multa alens

Nilus misit: Susiscanes,
Pegastagon Ægypto natus,
Et qui sacræ Memphidi præest
Magnus Arsames, quique antiquas
Thebas regit Ariomardus,
Et paludicolæ navium remiges
Periti, multitudoque innumera.
Molliter-degentium sequitur Lydorum
Turba, et qui plane in continente genitam
Obtinent gentem, illis Metragathes
Et Arceus bonus, regii præfecti,
Et divites Sardes vectos
Multis curribus emittunt,
Quadrijuges et sejuges ordines,
Visu terribile spectaculum.
Instant vero sacri Tmoli vicini
Jugum servile injicere Græciæ,
Mardon, Tharybis, hasta indefatigabiles,
Et jaculatores Mysi: Babylon vero
Auro dives miscellaneam turbam
Mittit impetuose, et navibus vectos
Atque arcum trahendi arte confisos.
Ensiferque populus ex omni
Sequitur Asia,
Timendo regis edicto.
Talis flos virorum Persicæ
Terræ proficiscitur.
Quos omnis tellus Asiatica,
Cum aluerit, flagrante desiderio gemit:
Parentes et uxores per singulos dies numeratim
Ad protractum tempus contremiscunt.

STROPHE.

Jam quidem transiit captor urbium
Regius exercitus in
Oppositam vicinam regionem,
Funibus vincta rate
Fretum trajiciens
Athamantidis Helles,
Cum pontem multis clavis firmatum
(*Veluti*) jugum injecisset cervici maris.

ANTISTROPHE.

Populosæ Asiæ bellicosus princeps

In omnem terram gregem
Divinum (*immensum*) agit
Bifariam, terrestribus
Et maritimis (*copiis*)
Firmis confisus
Asperis ducibus,
Aurigenæ stirpis deo æqualis vir.

Verum ceruleum oculis referens
Aspectum trucis draconis,
Magna manu et numerosa classe (*instructus*)
Syriumque currum impellens,
Adducit in hastis nobiles viros
Arcu domantem Martem.
Neque quisquam expectandus qui possit obsistere
Ingenti virorum torrenti,
Et munimentis firmis propellere
Inexpugnabilem fluctum maris.
Non sustinendus enim Persarum
Exercitus, magnanimusque populus.
Dolosam vero fraudem dei
Quis vir mortalis evitabit?
Quis cito saltu pedis,
Agilis exiliat?
Benevolens enim blandiens
Primum, inducit
Mortalem in laqueos
Unde non datur homini
Evitando effugere.

STROPHE 1.

Divinitus enim imperavit
Fatum jamdudum,
Persis autem in animum induxit
Bella turribus infesta
Administrare, et tumultum equis gaudentem [prœlium equestre,]
Urbiumque eversiones.

ANTISTROPHE 1.

Didicerunt vero vasti
Ponti, albicantis
Flamine rapido,

Aspicere marinum pratum,
Freti tenuiter-textis rudentibus,
Et populum-transfretantibus machinis.

STROPHE 2.

Propter hæc mens mihi
Lugubris metu vellicatur, [pungitur]
Heu Persici hujus exercitus,
Ne qua intelligat civitas
Vacuam viris urbem
Magnam Susidis,

ANTISTROPHE 2.

Et Urbs Cissina
[Illi clamori] respondeat.
Heu! verbum isthoc, heu plena mulierum
Caterva ululans;
In byssinosque peplos
Cadat scissura.

STROPHE 3.

Omnis enim equestris
Et pedestris populus,
Examen veluti apum,
Reliquit urbem cum principe
Exercitus, utrinque-junctum
Trajiciens marinum
Promontorium, utrique commune continenti.

ANTISTROPHE 3.

Lecti vero præ virorum desiderio
Implentur lacrymis;
Persidesque impense tristes,
Unaquæque desiderio conjugali
Hastatum belli cupidum
Maritum cum dimisisset,
Relinquitur solitaria.

Sed agite Persæ sedentes
In hac antiqua domo,
Probam et profundi consilii curam
Geramus, exigit enim necessitas,
Quomodo rem gerit Xerxes rex,
Dario genitus,

Genus nostrum a patre nominatum:
Utrum arcûs vicerit tensio (scil. *Persæ*)
An ferro præfixi
Hastilis superaverit robur (scil. *Græci*)
Sed lumen deorum instar oculis
Prorumpit mater regis,
Regina vero mea, ad ejus genua accido.
Et salutatoriis oportet eam
Omnes verbis compellare.

CHO. O alte-cinctarum regina Persidum celsissima,
Mater Xerxis grandæva, salve Darii uxor,
(*Quæ*) et dei Persarum conjux, et dei mater extitisti,
Nisi forte vetus fortuna nunc exercitum deseruit.
AT. Propter hæc venio relicta domo auro-ornata,
Et Dario mihique communi thalamo: Et mihi
Cor vellicat [pungit] sollicitudo; vobis vero verba faciam
Non a meipsa existens impavida, amici,
[Sed metuo potius] ne magnæ divitiæ pulveris instar conspergentes pavimentum [i. e. festinantes] supplantent
Felicitatem, quam Darius intulit non sine aliquo numine.
Propterea est mihi duplex ineffabilis cura in mente,
Neque [quenquam] pecuniarum sine viris multitudinem
Prosequi honore neque pecunia-carentibus splendere lumen,
Quantumcunque adsit robur. Sunt enim divitiæ
Quidem irreprehensibiles, circum oculos meos vero metus.
Oculum enim domus arbitror domini præsentiam.
Porro, his ita se habentibus, consultores hujus rei
Mihi sitis Persæ grandævi fiduciarii.
Cuncta enim proba in vobis sunt mihi consilia.
CHO. Hoc bene scias terræ hujus Reginà, non te bis dicturam
Neque verbum neque opus quæ in nostra potestate sunt, [quorum potestas præire solet.]
Benevolos enim nos in hisce rebus consiliarios vocas.

AT. Multis quidem nocturnis semper in somniis
Sum, ex quo filius meus adornato exercitu
Ionum terram abit, expugnare cupiens
Sed nunquam adeo evidens (*visum*) vidi
Quam nocte hesterna; tibi vero dicam.
Visæ mihi sunt duæ mulieres eleganter vestitæ,
Una quidem peplis ornata Persicis,
Altera rursus Doricis, in conspectum venire;
Et statura hodiernis multum augustiores,

Et forma inculpatæ, et germanæ generis
Ejusdem: patriam vero incoluerunt, hæc quidem
Græcam sorte assecuta terram, altera Barbaram.
Hæ litem quandam (ut visa sum videre)
Struere in se invicem: filius vero meus percipiens
Continuit, et mitigavit, curribusque
Subjungit ipsas, et collaria cervicibus
Imponit. Quarum una quidem superbiebat hoc
Ornatu, habenisque habuit os morigerum.
Sed altera pedes jactabat, manibusque fræna currus
Dilacerabat, et vi diripiebat,
Frænis excussis, mediumque jugum fregit.
Excidit autem meus filius, et adstabat pater
Darius miserens illius; hunc ut vidit
Xerxes, lacerabat circum corpus peplos.
Et hæc quidem noctu me vidisse dico.
Postquam vero surrexi, et manibus pulchrifluum
Tetigi fontem, cum sacrifica manu
Altari adstiti, averruncis diis
Quibus hæc sacra parari solent, oblatura libum.
Video vero aquilam fugientem ad aram
Phœbi, et præ timore steti muta, o amici,
Dein vero circum aspicio celeriter
Alis irruentem, et unguibus caput (*aquilæ*)
Vellicantem, hæc tamen nihil aliud quam perterrita
Corpus ei præbuit. Hæc mihi visu terribilia,
Vobis vero auditu: filius enim, ut bene nostis, meus
Feliciter quidem agens vir esset admirabilis;
Et si infeliciter egerit, non erit urbi obnoxius,
Quin salvus haud secus atque antea huic imperaverit regioni.

CHO. Nolumus te, o Mater, aut verbis terrere nimium, aut obfirmare:
Deos vero supplicationibus adiens, si quid mali
Vidisti, posce horum aversionem peragere,
Quæ vero bona, ut compleantur tibi, et liberis tuis,
Urbique ac amicis omnibus. Tum secundo oportet
Inferias terræ et mortuis libare, placide vero hæc postules
Maritum tuum Darium, quem dicis te noctu vidisse:
Bona tibi filioque ab inferis in lucem mittere:
Contraria vero his terræ retenta tenebris obscurari.
Hæc animo præsagiens benevole tibi proposui;
Sed bene undequaque hæc tibi perficienda decernimus.

AT. Certe benignus primus horum interpres somniorum

Gnato et domibus meis hoc asseruisti verbum. Perficiantur
Quæ bona sunt: hæc autem, prout cupis, omnia
Faciemus diis, et amicis qui sub terra, quando ad
Ædes veniemus. interim hæc ediscere velim,
O amici, ubinam terrarum Athenas sitas esse ferunt.
CHO. Procul ad occasum decessuum regis solis.
AT. Attamen desiderabat filius meus hanc capere urbem.
CHO. Immo omnis fiat Græcia regi subdita.
AT. Ita (*sit*) adestne illis copiosus exercitus?
CHO. Etiam ejusmodi exercitus qui multa dudum Medis mala intulit.
AT. Hisne aliquid insuper, divitiæ sufficientes domi?
CHO. Argenti fons quidam est illis, terræ thesaurus.
AT. Utrumne illis in manu sagitta est arcum tendens?
CHO. Minime, sed hastæ firmæ, et clypeata armatura.
AT. Quis vero rex præest, et dominatur aciei?
CHO. Nullius viri vocantur servi neque subditi.
AT. Quomodo igitur sustineant supervenientes hostes?
CHO. Ita ut Darii numerosam et pulchram aciem deleverint.
AT. Gravia dicis cogitatu parentibus eorum qui exierunt [ad bellum.]
CHO. Sed, ut mihi videtur, cito scies totam veram narrationem:
Hujus enim viri festinationem Persicam advertere decet,
Et fert manifestam rem aliquam auditu bonam aut malam.
NUN. O terræ totius Asiaticæ urbes,
O Persica tellus, et ingens divitiarum portus!
Ut uno ictu corrumpitur ingens
Felicitas: flos vero Persarum caducus interiit.
Hei mihi, malum est primum nuntiare mala:
Necesse tamen et omnem explicare calamitatem
Persis, nam totus Barbarorum interiit exercitus.

STROPHE I.

CHO. Tristia, tristia mala,
Recentia [recenti et inusitato furore sævientia] et hostilia, heu heu!
Irrigemini (*lachrymis*) Persæ
Hunc audientes dolorem.

NUN. Ut scilicet illa omnia prorsus perierunt!
Et ego insperato lucem video reducem [reditûs diem.]

ANTISTROPHE I.

CHO. Longæva certe (*nobis*)
Hæc vita visa est
Senibus, ad audiendum
Inopinatam hanc cladem.

NUN. Etenim præsens, et non verba aliorum audiens,
Persæ, dicerem qualia sint transacta mala.

STROPHE 2.

CHO. Ototototoi frustra
Multa jacula omnifariam mixta
A terra Asiæ venerunt in terram
Græciæ, sacram [claram] regionem.

NUN. Plena sunt cadaverum infeliciter defunctorum
Salaminis littora, omnisque finitimus locus.

ANTISTROPHE 2.

CHO. Ototototoi amicorum
Mari-agitata corpora multum-tincta [sæpe mersa]
Mortua dicis ferri
Super errabundas tabulas.

NUN. Nihil enim juverunt arcus; ast omnis periit
Exercitus domitus navium hostilium proræ impetu.

STROPHE 3.

CHO. Emitte miserandum clamorem
Lugubrem Persis pugnacibus,
Ut omnia pessime disposuerunt,
Heu! heu! exercitu deperdito.

NUN. O plurimum odium nomen Salaminis audire:
Heu quam gemo Athenarum memor.

ANTISTROPHE 3.

CHO. Graves Athenæ hostibus:
Meminisse licet quam multas
Persidum (*mulieres*) fecerunt frustra
Conjuges, et viris viduatas.

AT. Tacui diu infelix obstupefacta
Malis: tantum enim est hoc infortunium,

Ut neque loqui neque interrogare mala (*liceat*)
Attamen mortalibus necesse est ærumnas ferre diis
Inferentibus; quare universum explicans damnum
Dicito imperturbate, (licet simul defleas mala)
Quis non occubuit, quem lugebimus
E populi principibus; quis ad sceptrum gerendum [in imperio]
Ordinatus vacuam viris aciem destituit moriens.
NUN. Xerxes quidem ipse vivit, et lucem videt.
AT. Næ meis domibus magnum dixisti lumen (*i. solamen*)
Et album [clarum] diem ex atra nocte.
NUN. Artembares quidem, decies millenorum equitum
Imperator, aspero in littore Sileniarum cæditur,
Et mille militum præfectus Dadaces ictu hastæ
Saltu levi navi desiliit
Tenagoque optimus Bactriorum indigena
Mari percussam insulam Ajacis colit.
Lilæus et Arsames Argestesque tertius
Apud Insulam columbas multas alentes
Devicti terram asperam percutiebant;
Prope fontem Ægyptii Nili habitans
Arcteus, Adena, et Pheresba tertius,
Pharnuchusque, hi ex una navi ceciderunt.
Aureus Matallus, myriadum præfectus,
Dux triginta millium equorum nigrorum, moriens
Rubram pilis refertam spissam [umbrosam] barbam
Infecit, colorem mutans tinctu purpureo [sanguinis.]
Et magus Arabus, Artamesque Bactrius,
Rigidæ terræ incola ibi interiit.
Amistris, et Amphistreus laboriosam hastam
Vibrans, et bonus Ariomardus Sardibus
Luctum præbens, Sisames Mysius,
Tharybisque quinquies quinquaginta navium
Dux, genere Lyrnæus, speciosus vir,
Jacet mortuus, miser, non admodum feliciter.
Syennesisque primus in magnanimitate
Cilicum imperator, unus vir laborem plurimum
Hostibus præbens, gloriose occubuit.
Horum ego jam ducum mentionem feci:
E multis vero præsentibus pauca annuncio mala.
AT. Heu, heu! malorum summa hæc audio;
Dedecora Persis et arguta lamenta.
Sed mihi hoc narra, denuo incipiens,
Quanta fuerit multitudo Græcarum navium
Ut sibi arrogarent Persico cum exercitu

Pugnam committere navium impressionibus [congressionibus.]
NUN. Quoad numerum quidem certo scias longe
Barbaros navibus superasse, nam Græcis fuit
Totus numerus ad decem triacades
Navium: præter has vero decem naves eximiæ erant.
Xerxi quidem (etenim novi) mille erant (*naves*)
Quibus præfuit, numero; præstantes celeritate
Bis centum erant et septem, sic res [sermo] se habet.
Num tibi videmur in hac pugna inferiores fuisse?
Sed ita Deus aliquis perdidit exercitum.
Lances onerans haud æquilibri fortuna.
AT. Dii tuentur urbem Minervæ deæ.
NUN. Est sane Athenarum, est urbs inexpugnabilis.
Nam viri cum sint, munimentum est tutum.
AT. Principium vero quodnam fuerit congressus navibus,
Dicito, quinam primi iniere pugnam, utrum Græci,
An filius meus elatus multitudine navium.
NUN. Initium, o domina, omni malo dedit
Apparens Alastor, aut malus alicunde genius.
Vir enim græcus ex Atheniensium exercitu
Veniens hæc dixit Xerxi filio tuo;
Quod, si venirent nigræ noctis tenebræ,
Græci non manerent, sed ad transtra
Navium irruentes, alius alia,
Occulta fuga vitam servare niterentur.
Ille simulac audiit, non intelligens fraudem
Græci viri, neque Deorum invidiam,
Omnibus propalat navarchis hunc sermonem:
Quando comburere radiis sol terram cessaverit,
Tenebræ vero templum ætheris occupaverint,
Ut ordinarent catervam navium agmine tripartito
Ad custodiendum egressus et freta maritima,
Alias vero in circulum (*disponerent*) Ajacis circum
Insulam. Ut si fatum malum Græci fugerint,
Navibus occulte fugam aliquam invenientes,
Omnibus [ducibus] statutum esset capite puniri.
Talia dixit vehementer ex valde fidenti mente;
Nam haud sciebat quæ a diis futura.
Illi vero non incuriose, sed obsequenti animo
Cœnam pararunt, et navita quisque
Alligavit remum circum scalmum, remis aptum.
Postquam vero lux solis occidit,
Et nox supervenit, omnis remi moderator
In navem cessit, et omnis armorum sciens;

Ordo ordinem hortatur longæ navis,
Navigant vero ut erat ordinatus quisque, et per
Totam noctem, huc et illuc delatum disposuerunt,
Navium gubernatores totum nauticum populum.
Procedebat nox, et nihilo magis Græcorum exercitus
Egressum occultum ulla ex parte moliebatur.
Postquam vero dies, albis equis invecta,
Omnem occupavit visu lucida regionem;
Primo Echoi instar a Græcis clamor
Modulate fausta-ominatus est, et altissima voce simul
Reboabat insulanæ petræ
Echo; metus vero omnibus Barbaris aderat
A sententia delapsis: non enim quasi fugientes
Pæana canebant gravem tunc Græci,
Sed ad pugnam ruentes animosa audacia.
Tuba autem clangore ista omnia [omnem istum tumultum] accendebat:
Statim autem sonori remi percussione
Verberarunt salsuginem frementem ex celeusmate,
Repenteque omnes erant visu conspicui;
Dextrum quidem primum bene-ordinatum cornu
Ordine præibat, secundo vero tota classis
Subsequebatur, et (*tunc*) licuit simul audire
Hunc undique clamorem: O Græcorum filii, ite,
Liberate patriam, liberate
Liberos, uxores, deorum patriorum sedes
Ac sepulchra majorum: nunc pro omnibus certamen.
Quinetiam a nobis clamor Persicæ linguæ
Obviabat, et non amplius erat cunctandi tempus.
Continuo vero navis navi rostrum æreum
Impegit, conflictumque incepit Græca
Navis, et fregit omnia Phœnissæ navis
Aplustria, alius [gubernator] autem in alium direxit hastam [navem.]
Et primo quidem impetus Persici exercitus
Restitit: ut vero multitudo navium in angusto
Coacta est, auxiliumque nullum illis mutuo aderat,
Ipsi autem ab ipsis æreorum rostrorum concursibus
Feriebantur, et fregerunt omne classis remigium.
Græcæque naves non imperite
Circum circa percutiebant; resupinabantur
Carinæ navium, nec amplius mare videre licuit
Naufragiis impletum et cæde mortalium.
Littoraque et rupes cadaverum plenæ erant:
Cum fuga incomposite omnis remigabat navis,

Quæcunque erant ex Barbarorum exercitu. Illi
Autem tanquam thynnos aut prædam aliquem piscium
Fragmentis remorum et ruinarum [navium] fragminibus
Feriebant, scindebant; et ploratus una cum
Ejulatu occupavit maris pelagus,
Quoad noctis nigra oculus [i. e. nox nigra] (*pugnam*) diremerit. Malorum
Vero multitudinem, etiam si per decem dies
Seriatim narrarem, ne sic quidem tibi absolverem.
Nam probe hoc scias nunquam una die
Multitudinem adeo numerosam hominum occubuisse.
AT. Heu, heu! ingens malorum pelagus ingruit
In Persas, totumque Barbarorum genus.
NUN. Hoc bene scias, nondum dimidiam partem conficere
Malorum; talis enim in eos ruit calamitas infortunii,
Quæ hæc (*quæ dixerim*) pondere suo bis superabit.
AT. Quænam fortuna hac adhuc inimicior contingat?
Dicito quam ais calamitatem exercitui
Accidisse, malorum vergentem ad majora.
NUN. Persarum quicunque erant ætate florentes,
Animoque optimi, et nobilitate insignes,
Ipsique regi ob fidelitatem inter primos semper,
Oppetierunt miserabiliter fato ingloriosissimo.
AT. Heu me miseram! ob malum infortunium,
Amici. Quanam vero morte ais hos interiisse?
NUN. Insula quædam est e regione Salaminis
Parva, statio carinis importuna, quam choreis gaudens
Pan frequentat super littore maris.
Isthuc hosce mittit, ut si quando navibus
Palati hostes in insulam evaderent, trucidarent
Facile superabilem Græcorum exercitum,
Simulque amicos servarent a marinis gurgitibus.
Male futuri præscius: cum enim deus
Gloriam navalis pugnæ Græcis dedit,
Ipsomet die corpora contegentes æreis
Armis, navibus exilierunt, et circumdederunt
Totam insulam, ut non invenirent (*Persæ*)
Quonam se verterent; nam multum et manu missis
Lapidibus percutiebantur, atque ab arcuum
Nervo sagittæ impingentes eos perdiderunt:
Postremo conciti (*Græci*) impetu unanimi
Feriunt, laniant membra infelicium (*Persarum*)
Donec omnium vitam corruperint. Xerxes vero
Lamentatus est malorum conspiciens abyssum; nam
Sellam habuit, unde facile totum perlustraret exercitum,

Altissimum (*sc.*) tumulum prope maris pelagus.
Lacerans autem vestimenta et acre ejulans, statim
Cum denuntiasset pedestri exercitui (*ut fugerent*)
Proripuit se fuga incomposita; hujusmodi tibi
Præter priorem calamitas lugenda est.

AT. O dæmon invise, ut fefellisti mente
Persas: acerbam ultionem filius meus
De claris Athenis invenit, neque suffecerunt
Quos ante Maratho Barbaros interemit.
Quos retaliatum ire filius meus statuens
Tantam multitudinem malorum attraxit.
Tu vero dic naves quæ effugerunt cladem
Ubi reliquisti? num scis diserte indicare?

NUN. Duces navium relictarum festinanter,
Vento secundo usi, inordinatam fugam instituunt.
Exercitus vero reliquus in terra Bœotiorum
Periit, aliqui circa Crenæas aquas
Siti laborantes, aliqui præ asthmate consumti
Transimus in Phocensium terram,
Et Doricum solum, et sinum Meliacum, ubi
Sperchius irrigat campum benigno potu;
Inde nos terræ Achaicæ campus,
Et Thessalorum civitas indigentes
Cibo exceperunt; ibi sane perierunt plurimi
Siti fameque, hæc enim ambo aderant.
Magnesiam vero in terram, Macedonumque
Regionem pervenimus, ad Axii vadum, Bolbesque
Palustrem arundinem, Pangæumque montem,
Edonida in terram; cum nocte in illa Deus
Hyemem intempestivam concitavit, congelavitque
Omne fluentum limpidi Strymonis; adeo ut Deos
Quisquis antea nequaquam putaverat, tunc oraret,
Precibus terram et cœlum adorans.
Postquam autem multum Deos invocare desiverat
Exercitus transit gelu-constrictum vadum.
Et quicunque nostrum, priusquam dispergerentur
Dei radii, conatus est (*transire*) servatus est.
Namque ardens radiis splendidus solis orbis
Medium permeavit vadum, calfaciens flamma;
Cadebant autem in se invicem. Fortunatus scilicet
Qui quam celerrime abrupit vitæ spiritum.
Quot vero residui sunt, et salutem assecuti,
Thraciam pertransientes vix multo labore
Veniunt evasi, (et hi non multi)
In patrios lares habentem: adeo ut gemat civitas

Persarum, desiderans charissimam terræ pubem.
Hæc vera sunt; multa tamen omitto loquens
Mala quæ Persis inflixit deus.

CHO. O sors difficiles labores præbens, quam nimium gravis
Pedibus insiliisti universo Persico generi.

AT. Hei mihi miseræ ob confectum exercitum.
O nocturna visio insomniorum conspicua,
Quam apertissima mihi manifestasti mala.
Vos autem admodum prave de his conjectastis.
Verumtamen, quoniam hac saltem parte recto talo stat sententia
Vestra, deos quidem primo orare volo;
Dein terræ et mortuis quæ dona sunt libum
Ex ædibus meis sumens veniam. Novi equidem
Pro iis (*me hæc facturam*) quæ jam peracta sunt,
Faciam tamen si quid quod superest melius accidere
Possit. Vos autem oportet de his quæ perpetrata sunt
Fidelibus (*nobis*) fidelia conferre consilia.
Et filium, si prius quam ego, hic venerit,
Consolamini, et deducite domum,
Ne insuper ad mala addatur malum.

CHO. At o Jupiter rex, modo Persarum
Superbientium et numerosorum
Copiis perditis,
Urbes Susa et Ecbatana
Luctu caliginoso obnupsisti.
Multæ vero teneris manibus calyptras
Scindentes humidis
Lachrymis sinus
Rigant, doloris participes.
Verum molliter gementes Persides, virorum
Expetentes videre nuperam conjunctionem,
Et lectorum strata mollibus stragulis,
Luxuriosæ [teneræ] pubertatis delectationis usura privatæ
Lugent gemitibus insatiabilibus.
Et ego quoque eorum, qui perierunt,
Fatum prorsus luctuosum suscipio.

STROPHE 1.

Nunc enim universa luget
Terra Asiæ exhausta.
Xerxes enim duxit, papæ!
Xerxes vero perdidit, tatæ!
Xerxes quidem omnia secum duxit imprudenter

Navigiis marinis.
Cur tandem Darius non potius illo tempore
Innocuus præfuit
Dux civibus,
Susidis charus princeps?

ANTISTROPHE 1.

Terrestres enim et marinas (*copias*)
Istæ similiter alatæ (i. *velis instructæ*) cæruleis
Proris naves duxerunt, papæ!
Naves perdiderunt, tatæ!
Naves mortiferis congressibus.
Et per Græcorum manus
Vix effugere regem
Ipsum audivimus
Thraciæ per campestres
Et frigidissimas vias.

STROPHE 2.

At qui primo fato sunt functi, heu!
Relicti ex necessitate, eheu!
Circa littora Cychrea, o o!
* * * Geme et te ipsum afflige
Graviterque vociferare
Ad cœlum sublatis clamoribus lugubribus. o o!
Extende ululatricem
Clamosam misellam vocem.

ANTISTROPHE 2.

Vexati vero a mari atroci, heu!
Spoliantur [lacerantur] a mutis, eheu!
Filiis immaculati (*maris*) o o!
Luget vero virum (*suum*) domus orbata.
Parentesque liberis privati
Lachrymis rigantur;
Immensamque calamitatem, heu!
Senes conqueruntur;
Omnem enim jam dolorem audiunt.

STROPHE 3.

Certe per Asiam terram
Non amplius legibus Persarum vivent,
Non amplius tributa pendent

Despoticis exactionibus,
Neque in terra procidentes [coram rege]
Parebunt. Nam regiæ
Periere vires;

ANTISTROPHE 3.

Non amplius lingua mortalibus
Vinculis coercetur. Solutus est
Populus ad vociferandum libere,
Quamprimum solutum est jugum fortitudinis [imperii.]
Sanguine vero imbuta tellus
Ajacis insula
Circumflua obtinet Persarum [fortunas.]

AT. O amici, quicunque in malis vector est,
Novit quod mortalibus quando fluctus
Malorum irruerit, omnia timere solet;
Quando vero prosper sit fortunæ flatus, sperare
Eos fortunam eodem vento secundo semper adspiraturam
Mihi enim jam timoris plena omnia
Et adversaria a diis oculis obversantur.
Intonatque auribus clamor haud pæanius;
Talis malorum consternatio perterret mentem.
Etenim viam hanc sine curribus,
Et pristino ornatu, ex ædibus rursus
Emensa sum, filii patri placantia libamina
Ferens, quæ (*sunt*) mortuorum delinifica;
Ab immaculata vacca album potu-suave lac,
Et florilegæ (*apis*) stillam, pellucidum mel,
Cum guttis aqueis fontis virginei,
Purumque ab agresti matre
Potum, antiquæ vitis huncce honorem,
Et in foliis semper virentis per vitam
Flavæ oleæ fructus fragrans adest,
Floresque plectiles omniferæ terræ proles.
Sed, o amici, ad has inferias
Hymnos accinite, divumque
Darium revocate; ego vero terræ epotandos
Hosce præmittam honores inferis diis.

CHO. Regina mulier, decus Persarum,
Et tu mitte inferias sub receptacula terræ,
Et nos hymnis rogabimus
Mortuorum deductores,

Ut benevoli sint sub terra.
Cæterum terrestres dii sancti,
Terraque, et Mercuri, et tu rex inferiorum,
Mittite ex inferis animam in lucem.
Nam si quid amplius infortunii noverit,
Solus mortalium terminum diceret.

STROPHE 1.

An me audit, beatus
Diis æqualis rex,
Mittentem Barbaras
Perspicuas omnifarias
Luctuosas infelices voces?
Miserrimos dolores perboabo.
Num ex inferis me audit?

ANTISTROPHE 1.

Sed tu Terra, vosque alii
Inferorum ductores
Deum magnificum
Celebrate mihi e domibus vestris exeuntem,
Persarum Susis natum Deum:
Et sursum mittite (*talem*) qualem antequam nunquam
Persica terra occuluit.

STROPHE 2.

Heu virum amabilem! heu amabile sepulchrum!
Amabiles enim tegit mores.
Et Pluto deductor remittes
Pluto
Innocuum divinum regem Darium. eja!

ANTISTROPHE 2.

Neque enim viros unquam perdidit
Bello absumentibus noxis,
Sed divinus-consultor vocabatur
Persis et divinus-consultor erat;
Quoniam bene administravit [duxit] exercitum. eia!

STROPHE 3.

O rex, antique rex,
Age, veni,
Accede ad summum cacumen

Tumuli croco tinctam
Pedis attollens crepidam,
Regiæ tiaræ
Fasciam ostendens.
Accede pater optime Darie, hei!

ANTISTROPHE 3.

Ut nova audias,
Et recentia mala;
Domine domini
Appare. Stygia enim
Caligo circumvolavit (*nos.*)
Quippe jam juventus
Universa periit.
Accede pater optime Darie, hei!
Heu, heu, heu, heu.
O multum ab amicis deflete cum morereris:
Quare hæ o dynasta, dynasta,
Circa tuam geminæ
Grassarentur labes
Totam hanc terram?
Perierunt funditus triremes
Naves nenaves, nenaves [infaustæ.]

DAR. O fidi fidorum [dominorum consiliarii,] ei coætanei
Meæ juventæ Persæ senes, quali labore laborat
Civitas? gemit, pulsatur, scinditurque solum.
Videns vero meam conjugem prope sepulchrum
Horresco, libamina tamen propitia suscepi.
Vos autem lamentamini stantes prope tumulum,
Et voce intenta loquens luctibus animam educentibus,
Miserabiliter evocatis me. Ast exitus haud facilis est,
Alias omnino subterranei dii ad accipiendum
Quam ad dimittendum promptiores sunt.
Tamen ego apud ipsos auctoritate pollens venio: properavi vero,
Ut propter tempus (*protractum*) sim inculpabilis.
Quodnam autem est Persis prægravans recens malum?
CHO. Vereor quidem intueri,
Vereor et alloqui
Te, antiquo præ timore.

DAR. Sed quoniam ab inferis veni tuis persuasus luctibus,
Orationem neutiquam prolixam sed concisam efferens
Dic, et percurre omnia, amissa erga me reverentia.

CHO. Metuo quidem gratificari,
Metuo vero coram alloqui,
Fando nefanda amicis.

DAR. Sed quoniam metus antiquus tuis præcordiis obstitit,
Tori mei grandæva consors, generosa mulier, fletuum
Horum desinens, luctuumque, apertum aliquid dicito.
Humana sunt, quæ mortalibus accidere solent infortunia
Multa quidem ex mari, multa vero ex terra mala
Eveniunt mortalibus, si longior vita alterius extendatur.

AT. O tu qui omnium mortalium superasti faustitatem felici fato,
Quique, quamdiu vidisti solis radios, admirabilis existens
Vitam ævi prosperi Persis, tanquam deus, transegisti.
Nunc etiam te beatum duco cum mortuus sis
Antequam videres malorum abyssum.
Etenim omnem audies sermonem Darie breviter.
Eversæ sunt Persarum res, ut verbo dicam.

DAR. Quonam modo? venitne pestilentiæ aliquis impetus, aut seditio in urbem?

AT. Nequaquam: sed prope Athenas omnis deletus est exercitus.

DAR. Quis vero meorum filiorum illuc duxit exercitum? dicito.

AT. Bellicosus Xerxes, evacuans totam continentis regionem.

DAR. Terrane an mari periculum hoc miser stulte fecit?

AT. Utrinque: duplex erat facies duorum exercituum.

DAR. Quomodo tantus exercitus pedestris peregit transitum?

AT. Machinis conjunxit fretum Helles, ut transirent.

DAR. Etiam hoc peregit, ut Bosporum magnum clauderet?

AT. Sic se habet, et hoc propositum deorum aliquis promovit.

DAR. Heu magnus aliquis venit genius, ne saperet bene.
Ut tandum videre liceat quali modo mala perpetravit.

DAR. Quid autem passi sunt illi quibus ita ingemiscitis?

AT. Navalis exercitus profligatus perdidit terrestrem exercitum.

DAR. Itane penitus hasta deletus est omnis exercitus?

AT. Adeo ut Susarum tota lugeat civitas hominum vacuitatem.

DAR. Proh dii immortales, vanum auxilium et adjumentum exercitus.

AT. Bactriorum periit perditissimus populus, neque inter eos aliquis senex.

DAR. O miser, qualem pubem sociorum perdidit!

AT. Unum vero Xerxem desertum ferunt cum haud multis—

DAR. Quomodo autem et quorsum [narrando finis]? estne quædam salus?

AT. Lubentem illum pontem duabus annexum continentibus transire.

DAR. Et salvum ad hanc evasisse continentem, hoccine verum?
AT. Næ: sermo manifestus vincit; in hoc nulla discrepantia inest.
DAR. Heu! velox evenit oraculorum eventus; in meum filium Jupiter
Immisit exitum prædictionum. Ego vero
Sperabam ut dii hæc longo post tempore perfectum irent.
Sed quando aliquis suapte sponte festinat [in perniciem ruit,] deus quoque se ad eam rem [ad accelerandum exitium,] adjungit.
Nunc omnibus amicis meis fons malorum inventus [a me expositus] esse videtur.
Filius meus, cum hæc non perspiceret, juvenili audacia perfecit,
Qui sacrum Hellespontem instar servi in vinculis
Superavit se habiturum, fluentem Bosporum fluentum dei,
Et fretum permutavit, adactasque malleo pedicas
Injiciens, multum viæ paravit numeroso exercitui,
Mortalis existens, deos enim omnes putabat (*se*), pessimo consilio,
Ipsumque Neptunum superaturum. Nonne inter hæc morbus animi (*mania*)
Filium meum tenuit? metuo ne magna divitiarum nostrarum labor
Hominibus fiat præoccupantis præda.
AT. Hæc cum malis hominibus consuetudinem habens didicit
Bellicosus Xerxes; quippe qui dicant, te quidem ingentes filiis
Opes bello acquisivisse, hunc autem præ timiditate
Domi hastam quatere, et paternas opes neutiquam augere
Talia a malis hominibus sæpe audiens opprobria
Hanc expeditionem deliberavit, exercitumque (*traduxit*) in Græciam.

DAR. Ab illis nempe opus peractum est,
Maximum, semper memorandum, quale nondum
Cadens viris vacuam reddidit hanc Susarum urbem,
Ex quo hunc honorem Jupiter rex præbuit,
Unus vir toti Asiæ ovium altrici
Ut præesset, habens gubernans sceptrum.
Primus enim dux exercitus erat Medus,
Alter ejus filius opus hoc perfecit,
Prudentia enim animum ejus gubernabat.
Tertius ab illo Cyrus, vir fortunatus,
Cum imperavit, omnibus pacem constituit amicis:

Lydorumque et Phrygum acquisivit populum,
Totamque Ioniam subegit vi.
Deus enim non invidit (*successum*), adeo benevolus fuit.
Quartus Cyri filius dein moderavit exercitum:
Quintus vero Mardus imperavit, dedecus patriæ,
Et solio antiquo: hunc cum dolo
Interfecit Artaphrenes bonus in ædibus,
Cum viris amicis, quibus hoc erat negotium.
Sextus autem Maraphis, septimusque Artaphrenes.
Et ego quidem sortitus sum hanc quam volui sortem,
Multaque debellavi numeroso exercitu.
Sed haud tale malum ingessi in urbem.
Xerxes vero filius meus, juvenis cum sit, juvenilia sapit,
Neque meorum recordatur mandatorum.
Nam hoc clare satis cognoscitis coætanei mei,
Omnes nos, qui hæc tenuimus imperia,
Nunquam visi sumus damna fecisse tanta.
CHO. Quid igitur, rex Darie, quonam dirigis
Sermonum finem? quomodo post hæc adhuc
Optime faciamus Persarum populus?
DAR. Si exercitum in Græciam non ducatis,
Neque si Medicus major sit exercitus.
Ipsa enim terra auxiliaris illis (*Græcis*) est.
CHO. Quomodo hæc dixisti? quali modo auxiliatur?
DAR. Interficiens fame fastuosos nimium.
CHO. Sed expeditum et lectum recipimus exercitum.
DAR. At neque qui nunc manet in Græciæ regionibus
Exercitus obtinebit salutarem reditum.
CHO. Quid ais? nonne totus barbarorum exercitus
Transit Helles fretum ab Europa?
DAR. Imo pauci ex multis; si quid fidei habere deorum
Oportet oraculis, in ea quæ nunc peracta
Pertinentia, non enim res ex parte eveniunt, ex parte non.
Et siquidem hæc ita sunt, multitudinem
Selectam exercitus reliquit vanæ spei confidens [Xerxes.]
Manent vero ubi Asopus campum fluctibus
Irrigat, pinguefactorium gratum Bœotiorum solo;
Ubi extrema malorum manet eos pati,
Pœnas contumeliæ, et impiorum consiliorum:
Qui in terram Græcanicam migrantes, nec deorum
Simulacra verebantur violare, neque fana comburere.
Aræ abolentur, et delubra deorum
Radicitus confuse e fundamentis eversa sunt.
Certe cum male fecerint, non minora patiuntur,
Aliaque passuri sunt, neque adhuc malorum

Fundus subest, sed amplius scaturiunt.
Tantum enim erit sanguinis concrementum
In agro Platæensi sub hasta Dorica;
Ut mortuorum cumuli ad tertiam usque sobolem
Sine voce ostenderint oculis mortalium,
Quod non oportet hominem arroganter sapere.
Nam contumelia efflorescens fert spicam
Damni, unde [homo] metit lachrymosam messem.
Tales autem videntes horum castigationes,
Memores sitis Athenarum et Græciæ, neque quis
Despecta fortuna præsente, aliam
Concupiscens sortem, effundat ingentes opes.
Jupiter sane, vindex nimis insolentium
Moliminum instat, censor gravis.
Porro vos eum moderatione animi indigentem.
Monete eum rectis monitionibus
Desinere deos lædere insolenti audacia.
Tu vero grandæva mater chara Xerxis,
Domum ingressa, ornatu adprime decoro
Sumpto, obviam ito filio (*tuo:*) plane enim
Præ dolore malorum laciniæ circa corpus
Variegatarum vestium staminibus ruptis diffluunt [lacerate pendent.]
Quare tu ipsum sermonibus prudenter mitiga.
Novi enim quod te solam audiens se continebit
Ego vero abeo ad inferos sub caliginem terræ.
At vos senes gaudete licet inter mala
Indulgentes animis voluptatem quotidie;
Quoniam mortuis nihil prosunt divitiæ.
CHO. Certe multas et præsentes et adhuc futuras
Barbarorum clades dum audirem, dolui.
AT. O fortuna, quam multi mihi ingruunt mali
Dolores, maxime vero hæc mordet calamitas,
Dedecus circum corpus filii
Vestimentorum audientem, quod eum ambit.
Sed ibo, et mundo e domo sumpto
Meo obviare filio aggrediar:
Non enim charissimos prodemus inter mala.

STROPHE.

CHO. O dii, certe amplam
Bonamque in urbe urbem administrantem vitam
Adepti sumus, quando senex
Ad omnia sufficiens, probus,
Invictus rex deo par

Darius imperabat regioni.

ANTISTROPHE.

Primum quidem probatissimo
Exercitu clari fuimus, et turrita (*i. urbana*)
Instituta recte administrabant (*Persæ :*)
Reditus autem ex bellis
Sine labore sine perpessionibus nos feliciter agentes
Duxerunt domum.
Quam multas vero cepit urbes,
Cum non transmisisset trajectum
Halyos fluvii,
Ne quidem e foco suo motus,
Quales sunt Strymonii maris
Acheloides (*insulæ*) vicinæ
Thraciis mapaliis
Procul a mari quæ
Circa terrestrem
Mœnibus circumductæ reductæ turrim [murum]
Huic regi parebant,
Helles circa trajectum
Latum superbientes [positæ]
Recessusque Propontidis,
Et ostium Ponti,
Et insulæ quæ juxta promontorium
Marinum circumfluæ,
Huic adjacentes terræ
Qualis Lesbus, et
Olivifera Samus,
Chius, atque Parus,
Naxus, Myconus,
Tenoque conjuncta
Andrus vicina :
Et littorales
Obtinuit maritimas
Lemnum, Icarique sedem,
Et Rhodum, et Gnidum,
Cypriasque urbes,
Paphum, atque Solos,
Et Salamina, cujus
Nunc metropolis
Horum causa gemituum :
Etiam ditissimas,
In regione Ionibus sorte data, populosas

Græcorum obtinuit
Pro sua prudentia:
Quippe insuperabile aderat (*ei*)
Robur virorum armatorum,
Et ex omni gente mixtorum auxiliarium:
Nunc vero sine controversia
Ista a deo (*in nos*) versa e contrario
Ferimus (*mala*) in bellis
Domiti vehementer
Plagis marinis.

XER. Heu! infelix ego sortitus hoc fatum
Exosum ultra conjecturam;
Quam crudeliter fortuna invasit
Persarum populum! quid patiar miser?
Solutum enim est robur membrorum meorum,
Istam civium ætatem intuenti
Utinam, ô Jupiter, etiam me cum viris
Qui oppetierunt
Mortis fatum occultasset.
CHO. Ototototoi, rex præstantis exercitus,
Et Persas regentis insignis honoris,
Ornamentique virorum
Quos nunc Deus detondit,
Terra vero deplorat indigenam
Pubem interfectam, a Xerxe inferos
Adimplente, Persarum. Ecbatanorum enim
Plurimi viri, regionis flos,
Arcu-domantes (plane seges
Decem millium hominum) interierunt.
XER. Heu, heu, præclarum robur.
CHO. Asiatica etiam gens, o rex,
Ad terram usque graviter, graviter
Genu inclinavit.
XER. Ipse vero, heu, heu, deflendus
Miser generi terræque patriæ
Exitio fui.

CHO. Salutatorium tui reditus,
Mala-prædicantem clamorem,
Mala-accinentem vocem
Mariandynæi ejulatoris
Emittam emittam, flebilem ululatum.
XER. Edite lugubrem doloris et
Ejulatus plenam vocem.

Fortuna enim rursus mala
In me conversa est.
CHO. Edam et luctuosum (*threnum*)
Celebrans calamitates ab hostibus immissas
Marique inflictas
Civitatis stirpis luctuosæ:
Clangam denuo luctum lachrymis uberem.
Græcorum enim eripuit [illum juventutis florem]
Græcorum inquam navalis
Mars, adversæ partis auxiliator,
Nocturnum [infaustum] æquor, demetiens
Et infelix littus.
XER. Heu heu heu! vociferare et omnia percontare.
CHO. Ubinam tibi amicorum cœtus?
Ubinam Satrapæ tui?
Qualis erat Pharandaces,
Susas, Pelago et
Dotamas atque Agdabates,
Psammis et Susiscanes
Qui Ecbatana reliquit.
XER. Perditos destitui Tyria
Ex navi projectos in littoribus
Salaminiis, aspera
Defunctos in littora.
CHO. Heu heu heu! ubinam vero Pharnuchus,
Ariomardusque bonus?
Ubi Sebalces rex,
Aut Lilæus a bono patre natus,
Memphis, Tharybis, et Masistres,
Artembaresque aut Hystæchmes?
Hæc te rursus interrogo.
XER. Hei mihi, hei mihi;
Antiquas aspicientes
Invisas Athenas, omnes
Unius conflictûs tumultu
(Heu, heu, heu!) miseri
Humi palpitant.
CHO. Num et ibi Persarum
Tuum fidelem oculum
Myriadum omnium numeratorem,
Alpistum filium Batanochi,
Filii Sesami, filii Mygabatæ,
Partheumque magnumque Œbarem
Reliquisti, reliquisti?
XER. Proh misera [hostes.]

CHO. Persis præclaris mala urgentia [ante oculos posita] dicis.
XER. Desiderium videlicet bonorum
Sociorum memoras,
Gravia odiosa mala præsentia
Dicens: clamat clamat
Intra membra cor.
CHO. Attamen aliud quid desideramus,
Mardorum virorum myriadum principem
Xanthem, Mavortiumque Ancharem
Diæxinque, et Arsacen,
Equitum duces,
Cigdagatem et Lythimnem,
Tolmumque hastæ inexplebilem.
XER. Sepulti, sepulti sunt, non circa tentoria
Rotis vecta, verum pone insequentes.
Abierunt enim principes exercitus,
Abierunt, heu, heu, ignobiles.
CHO. Heu heu heu heu heu heu!
Infelices dæmones patrastis
Malum inopinatum insigne
Quale Ate spectat [cum voluptate.]
XER. Afflicti sumus, tales fortunæ adversitates.
CHO. Afflicti sumus: manifesta enim:
Novitiæ novitiæ calamitates calamitates.
Græcorum classiarios
Adorti parum feliciter.
In bello infaustum sane Persarum genus.
XER. Quomodo non? miser tanto exercitu (*perdito*)
Animo percellor.
CHO. Quid enim? nonne perierunt
Maximæ (*copiæ*) Persarum?
XER. Vides reliquias hasce meæ expeditionis?
CHO. Video, video.
XER. Et hanc sagittarum capacem——
CHO. Quid hoc quod dicis?
XER. Repositorum servatum sagittis.
CHO. Certe pauca e multis.
XER. Destituti sumus auxiliaribus.
CHO. Nonne Græcus populus aversatur arma?
XER. Imo animosus est; aspexi vero
Cladem inexpectatam.
CHO. In fugam versam classicam
Catervam dicis?
XER. Peplum quidem laceravi præ mali calamitate.
CHO. Papæ papæ papæ papæ.

XER. Imo vero plus quam papæ.
CHO. Gemina enim sunt et tergemina.
XER. Molesta (*nobis*) hostibus vero gaudia.
CHO. Num decurtatum est robur?
XER. Nudus sum satellitum.
CHO. Amicorum marinis cladibus.
XER. Illachrima illachrima damnum istud: et domum ito.
CHO. Heu, heu, heu, heu, miseræ, miseriæ.
XER. Vocifera nunc mecum alterno strepitu.
CHO. Heu retributionem malam malorum malis.
XER. Ejula cantum simul condens.
CHO. Otototototoi.
XER. Gravis certe hæc calamitas.
CHO. Hei mihi, et hoc admodum doleo.
XER. Feri, feri pectus, et ingemisce meam gratiam.
CHO. Lachrymis irrigor luctu oppressus.
XER. Vocifera nunc mecum alterno strepitu.
CHO. Lugubriter cantare licet domine.
XER. Extende nunc vocem luctibus.
CHO. Otototototoi.
Atra (lugubris) vero rursus adderetur
Mihi, et genitu mista plaga.
XER. Et pectus tunde, etiam vocifera Mysorum more.
CHO. Tristia tristia.
XER. Et evelle canos barbæ pilos.
CHO. Vehementer vehementer et admodum lugubria.
XER. Clama stridule.
CHO. Et hæc faciam.
XER. Peplum autem dirumpe sinuosum vigore manuum.
CHO. Tristia tristia.
XER. Et scinde comam et miserere exercitus.
CHO. Vehementer vehementer et admodum lugubria.
XER. Humecta oculos.
CHO. Madesco sane.
XER. Vocifera nunc mecum alterno strepitu.
CHO. Heu, heu, heu, heu!
XER. Luctuosus domum te recipe.
CHO. Heu, heu! terra Persica luctuosa.
XER. Heu jam per urbem.
CHO. Heu scilicet, etiam etiam.
XER. Ingemiscite molliter incedentes.
CHO. Heu, heu! terra Persica luctuosa.
XER. Heu, heu, heu! triremibus
(Heu, heu, heu!) navibus perditi.
CHO. Luctibus infeliciter sonantibus te comitabimur.

AGAMEMNON.

DRAMATIS PERSONÆ.

CUSTOS.
CHORUS.
CLYTÆMNESTRA.
TALTHYBIUS (Caduceator.)
AGAMEMNON.
CASANDRA.
ÆGISTHUS.

Prologum agit custos, expectans Agamemnonem.

AGAMEMNON.

SPECULATOR.

DEOS quidem posco horum exitum laborum,
Custodiæ annuæ vacationem qua excubans
Desuper in tecto Atridarum, instar canis,
Astrorum cognovi nocturnorum chorum,
Cum hyemem tum æstatem ferentes mortalibus
Rectores [cæli] claros, eminentes in cœlo
Stellas, occasus et ortus ipsarum.
Et nunc observo lampadis tesseram,
Fulgorem ignis afferentem a Troja rumorem
Urbisque expugnatæ indicationem: sic enim vincere
Mulieris viriliter ferocientem spero animum.
Interea noctivagum roscidumque habeo
Cubile meum somniis minime frequentatum,
Metus enim mihi somni vice adstat,
Ne arcte palpebras concludam somno:
Cum autem mihi visum est cantare aut exili voce cantillare,
Hoc somni adversum parans remedium,
Ploro tunc hujusce domus infortunium gemens,
Non, sicut antea, optime administratæ.
At nunc felix fiat laborum vacatio,
In lætum nuncium apparente nocturno igne.
O salve, fax noctis, diurnum
Lumen [clarissimam prosperitatem] ostendens, et chorearum institutionem
Multarum apud Argos, hujus eventus gratia!
Io, Io!
Agamemnonis uxori significabo clare,
Ut ipsa surgens lecto quam citissime, per domum
Ovationem bene-auspicantem huic lampadi
Alacriter accinat, siquidem Ilii urbs
Capta est, prout specularis ignis aperte nuntiat;
Ipseque ego præludium saltabo.
Collapsam dominorum fortunam restituam
Cum hæc speculatio mihi ter sex jecerit [optime evenerit.]

Contingat igitur mihi ut reducis amicabilem manum
Domini ædium (*istarum*) hac sustineam manu.
Sed cætera taceo, bos in linguam magnus
Incessit; domus vero ipsa, si vocem acciperet,
Clarissime eloqueretur. Adeo lubens ego
Intelligentibus loquor, et non intelligentes lateo.

cus. Decimus quidem hic annus ex quo Priami
Magnus adversarius,
Menelaus rex et Agamemnon,
Throni gemini geminique a Jove sceptri
Dignitatis, validum par Atridarum,
Classem Argivorum mille-navium
Ab hac regione
Solverunt, militare præsidium,
Magnum ex animo clangentes Martem
More vulturum, qui præ doloribus
Pullorum sublatorum supra cubilia
Circumvolitant,
Alarum remis remigantes,
Quod laborem circa pullos non pennatos
In observandis nidis perdiderint;
Supremus vero audiens aut Apollo,
Aut Pan, aut Jupiter, ab avibus editum
Clarisonum luctum,
Horumque abactorum pœnas sero exigentem
Mittit raptoribus Erinnyn.
Sic Atrei filios præpotens
Adversus Parin mittit hospitalis
Jupiter, pro muliere multinuba,
Plurima et membra-gravantia certamina,
Genu arenis fulcito,
Fractaque in primitiis (*pugnæ*)
Hasta, impositurus Danais
Simul et Trojanis. Cæterum (*res*) sunt ubi nunc
Sunt; sed perficientur secundum fata;
Neque quisquam, sive plorans, sive libans,
Sive flens, sacrorum igne-carentium [furiarum igne carentium]
Iras intensas demulcebit.
At nos illæsi propter senectutem corporis
In illa expeditione derelicti
Manemus, vires
Pueris-æquales baculis sustinentes.
Nam et juvenilis medulla

Quæ intra pectora dominatur
Senectuti æqualis est, Mars (*i. e. vigor Martius*) non inest huic ætatulæ;
Et nimia senilitas, foliis nunc
Exarefactis, tripodes per vias
Incedit, (tripes ambulat) pueroque nihilo validior,
(*Quasi*) somnium diurnum errat.
Tu vero, Tyndarei
Filia, regina Clytemnestra,
Quid rei, quid novi est? quidnam intelligens
Cujus nuntii fiducia
Huc atque illuc missa sacra peragis?
Omnium vero Deorum urbanorum,
Supremorum, terrestrium,
Cœlestium et forensium
Aræ donis ardent:
Alia aliunde ad cœlum usque pertingens
Lampas tollitur,
Delibuta olei casti
Mollibus puris fomentis,
Cum libatione e regiis cellis deprompta.
Harum rerum tu locuta mihi quodcunque licet
Et monere fas est,
Medicus esto hujus solicitudinis,
Quæ nunc alias infesta existit,
Alias ex sacris extis amica ostendens
Spes propulsat curam insatiabilem,
Animum exedentem mœstitiam.

STROPHE.

Potis sum celebrare faustum ad bellum proficiscentium
Virorum præfectorum; (adhuc enim divinitus immissa inspirat
Fiducia cantum,
Semper potentiæ cognata:)
Quo pacto Achivorum
Geminum robur, pubis Græciæ
Concors imperium, (*vel, concordes duces*)
Miserit cum hasta et manu exactore pœnarum
Ales rapax Trojanam in terram,
Avium rex,
Ducibus navium, et qui niger,
Et qui parte postica candidus,
Apparentes prope atrium,

Manu (*fulminis*) jaculatrici (*missi*)
Splendidis in sedibus
Vescentes leporinum genus multa prole facundum,
Extremis in cursibus læsum.
Næniam, næniam dic, bene autem eveniat.

ANTISTROPHE.

Venerandus vero exercitus augur cum vidisset
Animis geminos Atridas pugnaces, agnovit leporum epulatores,
Deductoresque principes;
Sic vero fatur prodigia dicens:
Longo post tempore capiet
Priami urbem hæc expeditio;
Omnes vero (*intra*) murorum (*ambitum*)
Opes, quibus ante populus abundabat,
Fatum vi diripiet.
Tantum (*precor*) ne qua calamitas
Divinitus erumpens obnubilet
Frænum magnum Trojæ (*exercitum*)
Expeditione ficiscens. Domui enim huic
Irata est Diana casta,
Propter volucres canes patris (Jovis)
Qui una cum fœtu ante partum miseram leporem mactarunt;
Odit vero cœnam aquilarum.
Næniam, næniam dic, bene autem eveniat.

Nempe illa pulchra dea tantopere benevola
Catulis tenellis rapidorum leonum
Omniumque agrestium mammas amantibus
Ferarum catulis, jucunda
Horum signa, precor, det
Fausta quidem, sed culpanda,
Ostenta harum aquilarum.
Jaculatorem autem invoco Apollinem,
Ne quas contrariorum ventorum
Danais diuturnas puppium-retentrices
Navigationis difficultates creet,
Urgens sacrificium aliud infaustum, non epulandum,
Litium fabrum,
Virum non metuentem: manet enim
Metuenda redux
Domicustos dolosa, memor ira vindictam exigens pro filia.

Talia Calchas
Cum præclaris successibus vociferatus est
Fata ab avibus
occinibus ædibus regiis.
Convenientem vero hisce (*oraculis*)
Næniam, næniam dic, bene autem eveniat.

STROPHE 1.

Jupiter, quisquis est, si hoc
Sub nomine invocari ei gratum sit,
Hoc nomine eum jam compello.
Non possum conjectare,
Cum omnia perpendam,
Absque Jove, an hoc vanum
Curæ pondus
Vere oporteat rejicere.

ANTISTROPHE I.

Neque enim qui olim erat magnus, [s. Cœlus,]
Omnium ad pugnandum provocatrici superbiens
Audacia nihil non oppugnante abundans
Quicquam nobis [de futuro harum rerum eventu] dicere possit, cum olim fuerit. [nunc vero occiderit.]
Et qui postea exstitit, [Saturnus]
Victorem nactus succubuit.
Jovem vero qui alacriter Epiniciis celebrat
Is compos utique sapientiæ omnino fiet:

STROPHE 2.

(*Jovem, inquam*) qui sapere homines
Docet, quique hanc legem sanxit,
Ut quæ nocumenta, eadem documenta sint.
Stillat autem etiam in somnis ante cor
Malorum memor cruciatus,
Et vel ad invitos venit prudentia.
Scilicet (*hæc est*) gratia Deorum, potenter
Sedili venerando (*cœli*) insidentium.

ANTISTROPHE 2.

Tunc Imperator senior [Agamemnon]
Navium Achaicarum,
Vatem [Calchantem] minime vituperans
Incidentibus [potius] casibus assentiens, [se accommodans]
Quando navigandi impotentia naves exhauriente

Gravabatur populus Achaicus,
E regione Chalcidis stationem habens
In Aulidis littoribus retro strepente fluctu madentibus,

STROPHE 3.

Flatus vero a Strymone venientes
Ingratum otium et famem afferentes, importuosi,
Hominum errores, nec navium
Nec funium parcentes
Immensum tempus addentes
Moræ, carpebant florem Achivorum.
Postquam vero aliud remedium
Vel (*ipsa*) acerba tempestate
Gravius, primoribus (*Græcorum*)
Vates denunciavit, allegans
Dianam, adeo ut terram sceptris
Percutientes Atridæ
Non tenerent lacrymas.

ANTISTROPHE 3.

Rex major natu tunc hæc dixit;
Gravis quidem calamitas, non parere;
Gravis vero si filiam
Laceravero, ornamentum meæ domus,
Maculans a virginea cæde manantibus
Rivulis paternas manus ad aram.
Quidnam horum sine malis?
Quomodo autem desertor fiem classis,
A socio exercitu deficiens?
Sacrificium enim, quod ventorum impetum sedaret,
Virgineum sanguinem vehementer
Flagitare fas est: esset enim utile.

STROPHE 4.

Postquam vero [rex] necessitatis subiit capistrum,
Montis spirans impiam conversionem,
Incestam, profanam,
Unde ad quidlibet audendum
Promtos fieri mortales sero intellexit.
Audaces enim eos facit male-suada
Misera insania [fraus] prima [ad alia turpia facinora incitans.]
Ausus est itaque mactator natæ fieri,
Bellorum mulierem ulciscentium auxilium,

Et sacra navium lustralia [pro fausto egressu]
Preces (Iphigeniæ) vero et voces patrem invocantes
Vitamque virgineam nihili fecerunt
Pugnæ cupidi principes.

ANTISTROPHE 4.

Jussit autem pater popas post preces
Puellam more capræ supra aram
Vestibus involutam
Totis viribus pronam
Ut illam corriperent tollutim, (portando)
Orisque formosi eos (tanquam) custodes
Comprimerent vocem infaustam domibus
Per vim fræni, mutumque robur.
At illa infulas croco tinctas in solum fundens
Feriebat unumquemque sacrificorum
Ab oculis (*emisso*) jaculo misericordiam creante,
Decora, sicut in picturis,
Alloqui volens; quoniam
Sæpe patris
Per cœnacula opipara cecinerat.
Casta autem voce virgo viri expers
Chari patris sæpe-libantem
Ætatem amice honorabat. [felicitatem lubenter celebrabat.]
Quæ deinceps (*facta sunt*) nemo scit, nec dicere possit.
Artes vero Calchantis non sunt irritæ.
Justitia autem illis qui passi sunt appendit (tribuit)
Cognoscere futurum. [sapientiam, nempe futurum calamitatum eventum.]
Futura autem præscire,
Antequam evenerint, valeat;
Quippe idem est ac ante tempus ingemiscere.
Manifestum enim eveniet quod noxis consonum est.
Ergo posthac secundus sit
Rerum exitus, ut volet hoc vicinum
Apiæ terræ solitarium præsidium.

Accedo tuam, Clytemnestra, adorans majestatem:
Justum enim est Principis honorare
Uxorem, orbato virili solio.
Tu vero sive quid magni momenti, sive nil tale audiens
Ob spes bonorum nunciorum sacra paras,
Audirem lubens, nec tamen indigner si taces.
CLY. Bonus quidem nuncius [lætus quidem dies] juxta proverbium,

Ex nocte matre contingat.
Audies autem majus gaudium, quam ut te auditurum speraveris.
Priami enim ceperunt Argivi urbem.
CHO. Quid ais? fugit (*me*) dictum (*tuum*) præ incredulitate.
CLY. Trojam Achivorum esse (*aio.*) num clare loquor?
CHO. Gaudium me subit lacrymas eliciens.
CLY. Quippe bene te velle (tuam benevolentiam) vel oculus arguit.
CHO. Quodnam autem certum argumentum tibi istorum
Est? CLY. Est, quidni? nisi fefellerit deus.
CHO. Num somniorum visa probabilia colis?
CLY. Non acciperem opinionem (*somno*) gravati animi.
CHO. Num quis celer rumor te delinivit?
CLY. Tanquam puerae juvenculæ, graviter cavillaris mentem.
CHO. Quonam vero tempore capta est civitas?
CLY. Hac, inquam, nocte quæ hunc diem peperit.
CHO. Et quis assecutus esset ad nuntiandum tantam celeritatem?
CLY. Vulcanus ex Ida fulgidum emittens jubar.
Lampas vero lampadem angariantis (nuntii) ignis
Misit. Ida quidem ad Hermæum promontorium
Lemni; ingentem vero facem ex insula tertiam
Atho montis cacumen Jovi dedicatum excepit,
Adeo ut super Helles pontum etiam transfretaretur
Vis permeantis lampadis lubenter,
Picea, aurea luce, veluti sol aliquis,
Jubar transmittens Macisti speculis:
Hic autem non omnino aut cunctans, aut incurie
Somno victus, nuntii partes prætermisit;
Sed procul facis lumen ad fluenta Euripi
Mesapii custodibus perveniens indicat:
Qui vero fulgore responderunt, et nuntiarunt ulterius,
Graiæ ericæ acervum accendentes igni.
Valida autem lampas neutiquam obscurata,
Asopi campum transiliens, instar
Lunæ claræ, ad Cythæronis apicem
Excitavit aliam successionem deductoris ignis.
Non recusavit quominus et ipse flammam late splendentem accenderet.
Custos, accendens majorem superioribus ignem.
Lacumque supra Gorgopin irruebat lumen,
Perveniensque ad montem Ægiplanctum,
Hortabatur, ut ne desiderari paterentur ignem accendi jussum.
Illi autem mittunt accendentes vi indomita

Promissam ignis barbam, et Saronici freti
Conspicuum fastigium ut superaret
Emicantem: deinde irruit, et attigit
Arachnæum cacumen, urbi vicinas speculas:
Dein in hanc domum Atridarum insiluit
Lumen hocce oriundum avito Idæo igne.
Tales veræ tedigerorum leges,
Aliæ ab aliis per vices impletæ sunt:
Vincit autem primus et extremus cursor.
Indicium tale signumque tibi enarro,
Quippe cui ipse maritus ex Troja denunciaverit.
CHO. Deos quidem postea, mulier, venerabor:
Hosce autem audire sermones et admirari
Continuo velim, itaque iterum dicas.
CLY. Trojam Achivi hodie possident.
Existimo clamorem insociabilem in urbe eminere.
Acetum et oleum si infundas in vas idem,
Repugnantia, non amica (*esse duo illa*) dixeris.
Et eorum qui capti sunt et eorum qui vicerunt
Seorsim voces audire licet diverso fortunæ eventu.
Illi enim circa corpora procumbentes
Virorum, fratrum, senumque
Pueri senum, non jam libero collo (pectore)
Ingemiscunt charissimorum (*parentum*) mortem.
Hos rursus noctivagus e prælio labor
Jejunos ad prandia, quæcunque habet civitas,
Ordinat, secundum nullum per partes (*distributionis*) signum,
Sed prout unusquisque duxit fortunæ sortem,
In captivis Trojanis ædibus
Modo habitant, subdiali a frigore
Et roribus liberati, ita ut infelices
Incustoditam dormient totam noctem.
Si vero pie colent deos urbis præsides
Illos victæ regionis, deorumque delubra,
Non cum prius ceperint, ipsi postea capientur.
Amor autem ne quis prius incidat exercitui (*opto*)
Ut cupiant quæ non oportet, lucris victi.
Oportet enim ad domum reducis salutis [si salvi domum redire velint]
Ad flectendum alterum diauli crus. [alteram quoque partem stadii ementiri.]
Sin diis obnoxius redierit exercitus,
(*Ad vindictam*) clades deperditorum
Excitaretur, etiam nova non occurrerent mala.

Talia igitur a me ut muliere audias:
(Precor) autem ut melior fortunæ pars vincat, ne duplicem rerum eventum videam.
Multorum enim bonorum fructum eligerem.
CHO. Mulier pro virili prudentia benevole loqueris
Ego vero audiens fida tua argumenta,
Deos salutare rite me accingam.
Pretium enim non vile laboris partum est.

O Jupiter rex, et nox amica,
Magnorum ornamentorum paratrix,
Quæ Trojæ turribus injecisti
Clausum rete, ita, ut neque grandis (*natu*)
Neque quisquam junior supervaderet
Servitutis magnum everriculum,
Calamitatis omnes comprehendentis.
Magnum igitur Jovem hospitalem veneror,
Qui hæc perfecit adversus Parin,
Qui tendebat jamdiu arcum suum, ut
Neque ante tempus, neque ultra sidus [idoneum tempus]
Jaculum irritum emitteret.

STROPHE I.

Jovis plagam dicere possunt [Trojani,]
Hoc quidem pervestigare licet
Ut fecit (inchoaverit,) ut perfecit.
Negavit aliquis deos mortalium
Dignari curam gerere
Quibuscunque non-tangendorum [sanctorum] decus
Calcetur; at ille non est pius.
Sed manifestati sunt [dii] posteris [Trojanorum]
Inaudendum Martem spirantium
Majorem justo,
Affluentibus ædibus supra modum
Supra id quod optimum. Sit vero
Innoxium, ut contentus sit
Recte sapiendi compos.
Non enim propugnaculum
Divitiarium est viro insolenter
Conculcanti magnam Justitiæ
Aram, adversus interitum.

ANTISTROPHE I.

Ast urget infelix fiducia

Intolerabilis noxæ (prioris) filia consiliatrix.
Remedium autem omne irritum est;
Neque vero id ipsos latere potuit; imo vero vir (ille) in conspectu (omnium) est
Horrenda luce resplendens calamitas;
Et æris adulterini instar,
Attrituque et allisionibus
Probatus atrus
Existit, quoniam
Persequitur puer avem volucrem,
Civitati detrimentum intolerabile immittens.
Preces vero (ejusmodi hominum) audit deorum nullus;
Sed horum (facinorum) authorem
Hominem injustum (deus) e medio tollit.
Qualis et Paris, veniens
In domum Atridarum,
Dehonestavit hospitalem mensam
Furto conjugis ejus.

STROPHE 2.

Illa vero relinquens civibus clypeales
Hastilesque tumultus et
Navales armaturas,
Adducens loco dotis Ilio exitium,
Transiliit raptim per portas, [Mycenarum]
Non audenda ausa; multum vero ingemuerunt
Hæc dicentes ædium (Menelai) vates.
Heu! heu domus, domus et domini!
Heu lectus et vestigia viri-amantia!
Adest muta inhonora, non convicianda
Suavissima postquam eam amiserimus visu.
Desiderio vero transmarinæ (Helenæ)
Spectrum videbitur ædibus imperare.
Speciosarum enim statuarum
Invisa est venustas viro.
Oculorum autem in vacuitatibus
Abiit Venus omnis.

ANTISTROPHE 2.

In somniis autem apparent (Menelao)
Tristes apparitiones
Afferentes vanam voluptatem.
Vanum enim (est, si,) cum quis bona (per somnium) videre videatur,

Elapsum inter manus,
Abiret visum haud ita post
Cum pennis sequentibus somni semitas.
Molestiæ quidem domesticæ ad ipsos lares
Hæ sunt, et his graviores.
Universim autem propter eos a Græcia simul profectos
Luctus animum affligens
In domibus cujusque eminet. (regnat.)
At multa certe attingunt jecur: (molestiam pariant)
Quos enim emisit, novit (Græcia;)
Pro ipsis autem viris arma
Et cinis in ædes
Cujusque redeunt.

STROPHE 3.

Mars autem auro permutans corpora,
Præliisque armorum (fortunam tanquam) in lance librans
Ustum ex Ilio
Ad amicos mittit grave
Ramentum lacrymabile
Cineris viri vicem explentis,
Implens urnas bene compositas.
Lugent vero (cives) laudantes viros, (quorum cineres reciperunt)
Hunc quidem, quod fuerit pugnæ sciens,
Alium vero, quod inter strages honeste procubuerit
Ob uxorem alterius.
Hæc quis silenter mussitat.
Invidiosus autem subrepit dolor
Atridis litis auctoribus.
Alii vero formosi (juvenes)
Istic circa mœnia Trojanæ terræ
Loculos obtinent;
Hostilis autem (*terra*) occupantes occulit.

ANTISTROPHE 3.

Gravis autem (est) civium rumor
Cum invidia, et popularis
Imprecationis tributum pendit.
Expectat autem audire
Mea sollicitudo aliquam atram calamitatem.
Multarum enim cædium auctores
Dii non negligere solent.

Sed atræ furiæ labente tempore
Eum qui præter fas fortunatus est
Contraria conditione vitæ
Reddunt obscurum, inter obscuros autem
Existentis nulla vis est.
Bene autem audire cum invidia populi,
Grave est; injicitur enim oculis
De cœlo fulmen.
Ego autem præfero fortunam absque invidia:
Neque sim urbium expugnator,
Neque ipse captus
Sub aliis vitam degam. (aspiciam.)

Cæterum ex igne felix nuntium afferente
Urbem pervadit velox rumor.
An autem vere,
Quis novit? sane verendum est, ne falsum sit negotium.
Quis ita est stolidus, vel mente captus,
Ut flammæ signis recentibus
Accensus animo
Deinde autem mutato nuntio
Doleat? in mulieris imperio
Decet antequam (veritas) apparuerit
(Fortunæ) jucunditatem prædicare.
Valde persuasibilis muliebris narratio
(Inter multos) diditur celeriter-iens.
Sed celeri morte
Fœminæ præconio celebrata perit fama.

CLY. Mox sciemus lampadum luciferarum
Excubiarumque et ignium vices,
An veræ sint, an, somniorum instar, gratum
Veniens illud lumen eluserit animum nostrum.
Præconem hunc a littore video obumbratum
Ramis olivæ: testatur autem hæc mihi frater
Germanus luti aridus pulvis;
Quod neque mutus, neque accendens facem
Materiæ montanæ signa dabit per fumum ignis:
Sed vel ut magis lætemur verbis explicabit
His autem contrarium aversor sermonem; bene
Enim ad ea quæ feliciter apparuerunt fiat accessio.
CHO. Qui hæc aliter exoptat huic civitati,
Ille erroris animi sui fructum ferat.
PR. Io paternum solum Argivæ terræ!
Decimo hoc anni lumine ad te veni, e multis

Fractis rebus speratis hujus unius factus compos.
Non enim unquam sperassem hac in Argiva terra
Mortuus participare optatissimi sepulcri partes.
Nunc salve mihi terra, salve lux Solis,
Supremusque regionis Jupiter, et Pythius rex
Arcubus non vibrans diutius in nos tela.
Satis ad Scamandrum infestus eras:
Nunc autem contra salvator esto, et defensor in certaminibus,
O rex Apollo. Deos vero qui præsunt
Certaminibus omnes invoco, meique honoris auctorem
Mercurium, amatum caduceatorem, caduceatorum
Numen verendum, heroasque qui nos deduxere
Rursus benevolos, ut excipiant exercitum qui evasit
Ex prælio. Io regum palatia, amicæ ædes,
Verendæque sedes, et dii Soli expositi!
Si unquam ante, oculis benevolis
Accipite decenter regem longo post intervallo.
Venit enim lumen in nocte afferens vobis
Et his omnibus commune rex Agamemnon.
Itaque ipsum complectimini (namque decet)
Et qui Trojam subruerit vindicis
Jovis ligone, qui subigitur solum.
Aræ autem subversæ sunt et deorum sedes,
Et semen omnis terræ periit.
Tali vero jugo Trojæ imposito rex
Rex Atrides major natu vir felix venit, qui honoretur
Dignissimus mortalium qui nunc (*vivunt*:)
Neque enim Paris neque socia ejus civitas gloriatur
Id quod fecerit eo quod passus sit majus esse.
Cum enim deberet rapinæ furtique pœnam,
Excidit et a præda, et funditus perditam cum
Tota regione paternam demessuit domum. Multati
Autem sunt duplici delictorum pœna Priamidæ.
CLY. Salve præco Achivorum qui in exercitu sunt.
PR. Salvus sum; quin moriar non amplius diis negabo.
CLY. Amor te exercuit (afflixit) paternæ hujus terræ?
PR. Ita ut illacrymer oculis præ gaudio.
CLY. Jucundi num estis hujus participes morbi?
PR. Quomodo edoctus compos fiam hujus sermonis?
CLY. Eorum vos redamantium desiderio ictus.
PR. Desiderare te dicis desiderantem hanc terram exercitum.
CLY. Ita ut sæpe ex mœsto animo ingemiscerem
PR. Unde autem animum tuum obsedit ista mœstitia?
CLY. Tacere, remedium noxæ jamdudum habeo.

PR. Et quomodo cum reges abessent timebas (alios) quosdam?
CLY. Ita ut tu supra dicebas, etiam mors gratissima sit futura.
PR. Bene enim ista cesserunt. Eorum autem quæ temporis
Progressu (*acciderunt*) alia quidem recte quis diceret
Bene habere, alia contra culpanda. Quis præter divos
Est illæsus per omne tempus?
Nam si labores (remigandi) dixero importunitatesque locorum (navigantibus graves.)
Raras ad terram appellendi occasiones, atque (in ipsis portubus) cubilia male strata
Quotus quisque dies, quem vivendo attigimus, absque suspiriis a nobis transactus est?
Quæque rursus in continente etiam aderant majus
Odium: cubilia enim erant sub mœnibus hostium.
De cœlo autem pluvia et a terra pratensi
Rores irrigabant, certa (violenta) vestium
Pernicies, capillos nostros villis ferinis similes reddentes
Quod si quis hyemem dicat aves necantem,
Qualem exhibebat intolerabilem ex Ida nix,
Vel calorem, quando pontus in meridianis cubilibus
Ventorum expertibus tranquillus et stratus dormit,—
Quorsum opus est hæc lugere? præteriit labor:
Præteriit certe, quod ad defunctos attinet,
Ut non postea curent ne resurgere quidem.
Quid opus est eos qui perierunt ad calculos revocare,
Viventem autem dolore afficere ob fortunam adversam.
Imo vero multum lætari in eventibus æquum censeo.
Nobis qui sumus relicti de exercitu Græcorum
Exuperat lucrum, damnum vero illud pondere haud æquiparat
Ita ut gloriari par sit in hac Solis luce
Per mare et terram volitantibus.
Troja capta tandem, classis Argivorum
Manubias hasce diis qui per Græciam (*coluntur*)
In templis fixerunt ornamentum longe-antiquum.
Talia audientes oportet laudare civitatem,
Et duces; et beneficentia honorabitur
Divina quæ hæc perfecerit. Habes omnia quæ dicenda habui.
CHO. Tuis sermonibus victus non renuo.
Semper enim adolevit (proprium est) senibus, bene discere.
Hæc autem familiæ et Clytemnestræ curæ esse
Maxime convenit, et me una beare.
CLY. Jamdudum quidem exclamavi præ gaudio,

Quando primus accessit nocturnus (*ille*) ignis nuntius
Indicans Trojæ excidium atque eversionem.
Et aliquis me incrêpans dixit, num ab fascibus accensis
Persuasa Trojam nunc dirutam esse credis ?
Certe est valde muliebre, animo (temere ad lætitiam) extolli :
Hujusmodi sermonibus stolida esse videbar.
Tamen sacrificabam, et more muliebri
Clamorem alius aliunde per urbem
Sustulerunt benedicentes, deorum in sedibus
Victimam-absumentem procurantes odoram flammam.
Et nunc plura quid opus est ut mihi dicas?
Ab ipso rege omnem intelligam historiam.
Quam optime autem meum venerandum conjugem
Festinabo redeuntem excipere : quod enim
Uxori lumen hoc jucundius, conspicere
Ab exercitu virum (*reducem*,) servante Deo,
Eique portas reserare ? Hæc marito nuncies,
Ut quam citissime urbi desideratus adveniat:
Conjugem fidam domi reversus reperiet
Qualem equidem reliquit, ædium canem (custodem)
Ipsi benignam, male-volentibus infestam,
Et cætera prorsus similem, quæ (conjugii aut pudicitiæ) sigillum
Diuturnitate temporis non corruperit.
Haud novi voluptatem, neque malam famam
Ab alio viro magis quam vulnera a ferro inflicta.
PR. Talis quidem jactantia veritatis plena
Non indecens ut a muliere generosa efferatur.
CHO. Hæc quidem ita locuta est tibi sciscitanti
(Nobisque) claris interpretibus congruenter sermonem.
Tu vero enarra, Præco ; de Menelao percontor,
Si redux et incolumis iterum
Vobiscum venturus sit, dilectum hujus terræ robur.
PR. Non est ut dicam mendacia bona esse,
Ut amici fruantur (*iis*) in longum tempus.
CHO. Quomodo igitur si bona nobis narres, hoc consequeris, ut eadem etiam vera sint ?
Etenim ista (duo) a se invicem sejuncta haud facile celantur.
PR. Vir (*Menelaus*) ab Argivo exercitu disparuit,
Et ipse et navigium : haud falsa loquor.
CHO. Num (*navem*) dum solvebat in conspicuo ab Ilio,
An tempestas, commune exitium ex classe rapuit ?
PR. Scopum, velut peritus sagittarius, attigisti ;
Longam autem cladem succincte descripsisti.

CHO. Utrum de illo vivente an mortuo
Rumor a nautis cæteris audiebatur?
PR. Non novit quisquam ita ut plane enunciet,
Præter Solem terræ naturam foventem.
CHO. Quomodo igitur ais tempestatem marino
Exercitui supervenisse, et desiisse deorum ira?
PR. Faustum diem non decet malorum nuntiatrici
Lingua contaminare: secernendus est honor deorum.
Cum vero abominandas clades nuntius
Tristi facie caduci exercitus afferat civitatí,
Unum quidem vulnus civitati est, communis calamitas,
(Alterum) vero multos ex multis exterminatos esse ædibus
Viros duplici flagello, quod Mars amat,
Geminæ hastæ noxam, cruentam bigam: [par]
Talibus quidem miseriis cumulatum [nuncium]
Decet dicere furiarum Pæanem.
At (*ego*) rerum salutarium bonus nuntius,
Veniensque ad lætantem felici statu civitatem,
Quomodo bona malis commiscebo, narrans
Tempestatem Achivorum non expertem iræ deorum?
Conjurarunt enim, inimicissimi cum essent prius.
Ignis atque mare, et fœdus suum manifestabant.
Perdentes infelicem Argivorum exercitum.
Noctu autem exoriebantur perniciosissimæ turbati maris calamitates.
Naves enim inter se Threïcii venti
Colliserunt; illæ autem percussæ vi
Tempestatis, et cum typhonis procella imbribus strepente,
Perierunt et evanuerunt, infelici gubernatoris casu
Postquam autem rediit splendida Solis lux,
Adspicimus plenum [efflorentem] mare Ægæum cadaveribus
Virorum Achivorum et navium fragmentis.
Nos tamen et navem integram secundùm alveum
Vel subduxit, vel precario impetravit a Jove
Deus aliquis, non homo, gubernaculum navis prehendens.
Fortuna autem servatrix propitia in nave nostra consedit;
Ut neque in portu fluctus turbinem experiretur,
Neve allideretur in terram scopulosam.
Deinde orcum marinum cum fugissemus,
Per diem candidum, non confidentes fortunæ,
Meditabamur curis recentem cladem
Exercitus laborantis ac male afflicti.

Et nunc illorum si quis spirat,
Dicunt nos perditos esse. Quid ni?
Nos etiam et ipsos arbitrabamur eadem pati.
Verum hæc quam optime eveniant. Menelaum quidem certe
Et primum et præcipue expecta venturum.
Si certe radius aliquis solaris eum videt
Vivum et videntem, Jovis auxiliis,
Nondum volentis perdere genus (*Atridarum*)
Spes restat aliqua eum domum reversurum.
Hæc cum intellexeris, scito te audire vera.

STROPHE 1.

CHO. Quis tandem nominavit
Ita prorsus vere
(Annon aliquis, quem non videmus,
Ex fati præscientia
Linguam [hominum] in casu fortunæ regens?)
In bellum nuptam
Autricemque contentionum, Helenam?
Quippe quæ congruenter (nomini suo)
Perditrix navium, perditrix virorum, perditrix
Urbium, e delicatis
Thalami velis (penetralibus) navigavit
Zephyri gigantis aura.
Et numerosi scutiferi,
Venatores secundum vestigia
Remorum invisibilia
Appulerunt ad Simoentis ripas
(*Arborum*) foliis abundantes
Ob contentionem cruentam.

ANTISTROPHE 1.

Ad Trojam autem affinitatem vere ita (*Græce*)
Nominatam (*utpote calamitosam*) strenua
Ira (*Græcorum*) attulit, mensæ
Dehonestationem tandem
Et hospitalis Jovis
Persecutura, nuptiale illud canticum
Supra modum punientis
Hymenæum, quem tunc incubuit
Affinibus canere.
Cæterum postea discens hymnum
Priami urbs antiqua,

Cum ingenti lamentatione nunc gemit,
Nomine compellans Paridem
Perniciosum nuptiis,
Luctuosissimam in posterum ætatem
Propter civium suorum
Tristem sanguinem, tolerans.

STROPHE 2.

Quippe leonem educavit
Exitialem ædibus lacte depulsum
Vir iste (*Priamus*) uberum amantem,
In vitæ primordiis
Mansuetum, pueris amabilem,
Senibusque valde gratum.
Quinetiam sæpe hæsit in ulnis,
Filii tenelli instar,
Hilaris ad manum
Ventris in necessitatibus blandiens.

ANTISTROPHE 2.

Sed postea adultior ostendit
Naturam a parentibus ingenitam.
Nam gratiam pro nutritione rependens,
Ovium miserandis cædibus
Convivium injussus paravit;
Sanguine autem polluta est domus;
Dolorque insuperabilis famulis erat
Ingens calamitas exitiabilis.
Adeo divinitus (ille quasi) sacerdos Ates
In ædibus enutritus est.

STROPHE 3.

Initio quidem venisse
Ad urbem Ilii,
Dixerim (Helenam) animum
Tranquillæ serenitatis,
Molle divitiarum ornamentum,
Blandum oculorum telum,
Animum pungens flos amoris;
Postea vero mutata perfecit
Nuptiarum acerbos exitus,
Mala vicina, malaque socia,
Irruens in Priamidas,
Ductu Jovis Hospitalis,
Virginibus lugenda furia.

ANTISTROPHE 3.

Vetus autem et antiquum
Inter homines dictum
Extitit, Ingentem et perfectam
Felicitatem hominis, parere,
Neque sine liberis mori;
Sed ex prospera fortuna generi
Germinare insatiabiles ærumnas.
Verum ego seorsim ab aliis singularis sententiæ sum.
Impium quippe facinus
Plura deinceps facinora parit
Suæ stirpi similia.
Sed ædium justitiam colentium
Æterna bonorum liberorum est.

STROPHE 4.

Solet autem parere injuria
Vetus quidem juvenescentem (novam)
In malis mortalibus
Injuriam, aut hoc aut illo tempore,
Cum hora fatalis advenerit,
Recentem pariens iram,
Dæmona invincibilem, inexpugnabilem,
Nefarium, audaciam,
Atras in domibus noxas,
Similes parentibus.

ANTISTROPHE 4.

At Justitia splendet
In ædibus fumosis,
Justamque vivendi rationem
Colit. Bona auro variegata
Cum sordibus manuum
Aversis oculis
(Jnstitia) linquens, ad sancta loca accedit,
Divitiarum vim vituperio notatam
Laude neutiquam colens:
Omnia vero ad finem dirigit. [in omnibus finem respicit.]

Eia vero, o Rex, Trojæ eversor,
Atrei soboles,
Quomodo te affabor? quomodo te salutabo
Neque excedens, neque deficiens
A decoro gratiarum?

Quippe mortalium plurimi videri quam esse
Pluris faciunt, fas prætergressi.
Infelici congemiscere
Quivis paratus est; cum tamen morsus doloris
Nullus accedit jecori:
Cumque gaudentibus similes gaudent,
Vultus minime ad risum compositos ridere cogentes.
At quisquis civium ingenia et mores bene internoscit
Hunc haud latere possunt oculi hominis,
Qui videntur ex benevolo animo
Benevolentia blandiri humida. [humore ex oculis stillante humida.]
Tu vero mihi tum quidem ducens exercitum
Helenæ gratia (neque enim celabo)
Admodum odiosis coloribus eras depictus,
Neque bene gubernäculum mentis regens,
Qui fortitudinem involuntariam
Viris mortem appetituris afferres.
Nunc vero non leviter, neque parum amice
Gratus hic labor est (militibus hoc bello) feliciter defunctis.
Mox autem inquirendo cognoveris
Quis civium juste, quis importune
Se gesserit in civitate.

AGA. Primum quidem Argos et deos indigites
Salutare justum est, qui mihi authores fuerunt
Reditus, pœnarumque quas de urbe exegimus
Priami. Causas enim non a lingua (*Causidicorum*)
Audientes, viros-perdentes Ilii interitus
In cruentam urnam haud divisa sententia
Calculos immiserunt; in contrarium autem vas
Spes manus (calculos educturæ) accessit, sed ita, ut non imploretur.
Ex fumo autem capta etiamnum insignis est civitas.
Cladis vigent procellæ; commoriens vero (*urbi*)
Cinis exhalat pingues divitiarum nebulas,
Ob hæc diis valde-memores oportet gratias
Reddere, quoniam et sævas insidias
Perfecimus, et mulieris ergo
Urbem delevit Argiva bestia,
Pullus equi, clypeum-versans populus,
Saltu proruens circiter Pleiadum occasum;
Et super-insiliens muros Leo crudelis
Affatim elinxit sanguinis regii.
Diis quidem prætendi istud procemium:
Hæc autem in tuam admonitionem audiens memoro.

Et eadem dico, et advocatum me habes.
Perpaucis enim viris hocce ingenitum est,
Amicum feliciter-agentem colere absque invidia.
Virus enim malevolentiæ cordi insidens
Onus duplicat hoc morbo laboranti:
Et ipse propriis gravatur malis,
Et externam felicitatem intuens gemit.
Expertus loquor; etenim bene novi
Consuetudinis speculum, simulachrum umbræ
Quosdam esse qui videntur mihi admodum benevoli.
Solus autem Ulysses, qui haud lubens navigavit,
Conjunctus verus mihi auxiliator erat;
Sive de mortuo, sive de vivo
Loquor. De reliquis autem, quæ ad civitatem et deos pertinent,
Facta in concilio disceptandi potestate
Consultabimus. Et id quod bene habet,
Quo pacto in eodem statu permaneat videndum est.
Cui autem (*rei*) opus est medicamentis pæoniis,
Aut urentes, aut secantes amice,
Conabimur morbum noxæ avertere.
Nunc vero in palatia et ædes penetrales
Veniens, diis quidem primum salutabo,
Qui me procul missum reduxere.
Victoria autem siquidem contigit, ita stabilis maneat.
CLY. Viri cives, senectute inter Argivos venerabiles,
Haud erubescam Viri-amans ingenium meum
Vobis dicere; Temporis enim tractu evanescit
Pudor hominibus. Non ab aliis
Edocta meam ipsius miseram narrabo vitam,
Tantisper quamdiu iste ad Ilium fuit.
Primum quidem uxorem absque viro
Sedere domi desertam, terribile malum est,
Plurimos audientem rumores odiosos,
Et modo aliquem, venire, modo alium
Pejorem novum dolorem, annunciantes ædibus.
Et vulnera si tot nactus esset
Vir iste, quemadmodum domum afferebatur
Rumor, esset, ut ita dicam, nassula confossior.
Sin esset mortuus, sicut fama increbuit,
Tricorpor Geryon secundus
Numerosam supra terram (non enim inferum illum dico
Sub terra tergeminum) chlamydem accepisse se gloriatus
Esset, semel mortuus in unoquaque corporis forma.
Ob tales rumores sævos

Multos superne (in superiori ædium contignatione) laqueos de meo collo
Solverunt alii per vim astricto. [invita cum deprehendere.]
Ob hæc quidem filius hic non adstat,
Meæ et tuæ fidæi pignus,
Sicut oportuit, Orestes: neque hoc mireris;
Educat enim illum benevolus socius belli
Strophius Phocensis, ancipitia mala
Mihi memorans, tum tuum sub Ilio
Periculum; tum si populi concitati seditio
Senatum deturbaret, prout ingenitum est mortalibus,
Eum qui semel cecidit magis magisque conculcare.
Et hæc quidem excusatio mea omni dolo vacat.
Ac mihi quidem lacrymarum ingruentes [uberrimi]
Fontes exaruerunt, ut ne stilla quidem insit.
At pervigilibus in oculis morbum contraxi
De te plorans speculationes
Semper incassum factas. In somniis vero
A tenui culicis excitabar
Murmurantis motu, de te plures clades
Videns quam fieri possint per tempus quo dormiebam.
Nunc hæc omnia passa mente omni tristitia liberata
Dicam virum istum, stabulorum (ovium) canem,
Servatorem navis rudentem, sublimis tecti
Fulcientem columnam, filium unicum patri,
Et terram quæ præter spem apparuit nautis,
Diem visu pulcherrimum post tempestatem,
Sitienti viatori fontanum laticem.
Jucundum vero est *malum* quodlibet necessarium effugere.
Talibus ipsum salutationibus dignum censeo.
Absit verbo invidia; multum enim pridem mala
Sustinuimus: sed jam, charum mihi caput,
Egredere ex curru isto, non humi ponens
Pedem tuum, o rex, Trojæ vastatorem.
Famulæ, quid cunctamini, queis injunctum est
Munus sternendi stragulis solum viæ?
Continuo sit purpura stratus transitus
In domum insperatam ut deducatur decenter.
Cætera vero cura *nostra* nequaquam somno victa
Curabit rite congrua fato, diis volentibus.

AGA. Ledæ proles, mearum custos ædium,
Dixisti quidem convenienter meæ absentiæ;
In longum enim produxisti *orationem*: at decenter
Ut lauder, oportet hoc decus venire ab aliis.

Et præterea ne me ad morem muliebrem
Delicate tractes, neque, instar hominis barbari,
Prostrata clamore incondito me salutes,
Neque stragulis insternens invidiosam viam efficias:
Quippe deos hisce oportet honorare;
Picturatis vero mortalem ornamentis
Incedere, me judice, neutiquam sine metu.
Dico pro ratione hominis non quasi deum ut tu colas me.
Absque pedum substragulis et variegatis tapetibus
Mea fama clamat male autem non sapere,
Maximum deorum donum et beatum prædicare oportet
Eum qui vitam finierit in felicitate grata.
Si omnia eodem modo experiar bono animo fuero.
CL. Atque hoc dic non contra animi sententiam mei.
AGA. Animum quidem scito me neutiquam corrupturum.
CL. Vovistin' diis metuens sic facturum te ista?
AGA. Si quis alius, bene ultimam sententiam dixi.
CL. Quid autem tibi videtur Priamus *facturus* si hæc effecisset?
AGA. Super versicoloribus *stragulis* omnino mihi videtur ambulaturus esse.
CL. Ne tu ergo verearis vituperium hominum.
AGA. Veruntamen vulgaris fama multum valet.
CL. Sed qui non invidetur non beatus est.
AGA. Imo non est mulieris altercationem cupere.
CL. Atqui beatos etiam hoc, quod vincuntur, decet.
AGA. An etiam tu victoriam hujus certaminis magni facis?
CL. Crede, victoriamque mihi volens præbe.
AGA. At si ita tibi visum fuerit, solvat
Aliquis calceos ocyus pedibus inservientes, ut hi illis insistant.
Cum hisce vero purpureis (calceis) super tapetibus incedentem,
Deorum ne qua e longinquo oculi feriat invidia.
Multum enim verendum est domum perdere, pedibus
Perdentem divitias et texturas argento emptas.
Hæc ita; hanc vero hospitem benigne
Excipias. Molliter imperantem
Deus e longinquo benevole aspectat.
Nemo enim volens servile patitur jugum.
Illa vero multarum opum selectus
Flos, exercitus donarium, me comitata est.
Quoniam autem tibi in hisce obaudire coactus sum,
Intro in ædium pergulas calcans purpuram.
CL. Extat mare, quis vero hoc exsiccabit?

Quod nutrit multæ purpuræ fucum
Argenti instar pretiosum semper-recentem, amictuum tincturas.
Ædibus nostris cum diis talia suppetunt, rex,
Abundare, non indigere, scit domus *nostra*.
Plurium conculcationem vestium vovissem
Si mihi in oraculorum ædibus hoc edictum fuisset,
Hujus animæ reditum effectura.
Radice enim salva, folia proveniunt,
Quæ ante ædes umbram adversus Sirium canem prætendunt.
Et te domesticum adpetente larem,
Fervorem quidem in hyeme præbes:
Cum vero Jupiter ex immatura uva vinum
Faciat, tunc frigus domi est
Optimo patrefamilias domum redeunte.
Jupiter, Jupiter perfector, mea vota perfice;
Et hæc tibi curæ sint quæ perfecturus es.

STROPHE 1.

CHO. Quodnam hoc certo
Ostentum obversans
Cordi fatidico volitat,
Et vaticinatur injussum
Nulla mercede conductum carmen,
Neque rejiciens *ipsum*, instar
Inexplicitorum somniorum,
Fidens audacia accedat
Ad charum mentis thronum? diu autem est ex quo
Rudentum injectionibus
Navos arenosas (in arena hærentes)
Præteriit, cum in Ilium
Profectus est navalis exercitus.

ANTISTROPHE 1.

Percipio ipsis oculis
Reditum, ipsemet mihi testis existens.
Hanc sine lyra tamen modulatur
Næniam Erinnys:
Intus a seipso didicit
Animus non prorsus admittere
Gratam spei fiduciam.
Nec sane vana sunt præcordia;

In justis cogitationibus exitum habituris
Vertiginibus circumactum cor.
Opto autem ut de meo timore
Aliquid falsum esse contingat,
Adeo ut ratum nusquam siet.

STROPHE 2.

Profecto nimiæ
Sanitatis insatiabilis
Terminus est; namque morbus
Vicinus intergerinus urget.
Et fortuna hominis rectum
Cursum tenens impegit *aliquando*
Ad scopulum latentem.
Ac si quis partarum opum
Onus projecerit
Modico ex jactu,
Non periit tota domus *licet*
Calamitatis admodum plena,
Neque penitus in pontum mergit navem.
Sæpe namque donum divinum
Amplum et
Ex sulcis annuis
Extinxit morbum famelicum.

ANTISTROPHE 2.

Semel autem in terram atrum
Mortiferumque hominis sanguinem
Ante pedes ejus lapsum quis rursus
Revocaverit incantans?
Nonne illum qui certum sciebat, *Æsculapium*,
Mortuos reducere (resuscitare)
Jupiter prohibuisset postea?
Nisi vero fatum
Divinitus constitutum hanc Parcam (Clytæmnestram)
Impediret, quo minus plura diceret,
Cor antevertens
Linguam ista effudisset.
Nunc autem in tenebris fremit,
Animo dolens, et nihil
Sperans amplius
Tempestivum se perfecturum,
Mente inflammata. (Si jam nunc nimis mentem inflammari patiatur.)

CL. Ingredere et tu; Casandram dico.
Quoniam te statuit Jupiter haud immitibus in ædibus
Ut particeps esses lavacrorum, una cum multis
Servis, collocata juxta aram Jovis Fortunatoris.
Egredere ex hac esseda; neque fastidiosa sis.
Nam et Alcmenæ filium tradunt
Olim venditum sustinuisse etiam jugum vi.
Quod si necessitas hujus casus inciderit,
Apud dominos pridem opulentos gratiæ multum est. (valde optabile est.)
Qui vero, cum nunquam sperassent, messuerunt pulchre,
Crudeles (esse solent) prorsus servis, etiam præter normam.
Habes a nobis, *dicta sc.* quæ fieri solent.
CHO. Tibi autem referre desistit claro sermone.
Cum vero sies intra retia fatalia, obsequeris,
Si modo obsequaris; forsan vero haud persuadeare.
CL. At siquidem non est, hirundinis instar,
Ignota voce barbaraque prædita,
Intra præcordia loquens, ipsi sermonis persuasio.
CHO. Sequere; loquitur ut in hoc rerum statu optima.
Obsequere, deserens sedem hanc curulem.
CLY. Non mihi otium est cum hac præ foribus
Manente tempus terere; namque ad aram penetralem
Sistuntur dudum oves ad ignita sacrificia,
Utqui nunquam speraverimus talem nos adepturos gratiam.
Tu autem si quid horum facies, ne moram necte;
Sin ignara sermonem meum haud capias,
Pro voce barbara fare manu.
CHO. Hospita videtur interprete claro indigere;
Mores vero sunt quales feræ recens-captæ.
CLY. Immo insanit et mentis læsæ cluit,
Quæ relicta civitate recens-capta
Venit: lupatum vero nescit ferre
Antequam cruentum despumaverit furorem.
Non tamen plura verba faciens vituperabor.
CHO. Ego quidem, nam miseret me ejus, non irascar.
Vade, o misella, hunc currum deserens,
Cedens necessitati huic novo jugo adsuesce.
CAS. Otototototoi! proh dii! proh terra!
Apollo, Apollo!
CHO. Quorsum illud otototototoi effers ad Loxiam?
Non enim talis est ut lamentatori subveniat.
CAS. Otototototoi! proh dii! proh terra!
Apollo, Apollo!

CHO. Certe rursus male-ominans deum invocat,
Cui minime convenit assistere in luctibus.
CAS. Apollo, Apollo!
Agyieu Apollo (perditor) mihi fuisti;
Perdidisti enim me plane jam secundo.
CHO. Vaticinatura videtur de sui ipsius malis.
Manet divina vis relicta in mente quamvis serva.
CAS. Apollo, Apollo!
Agyieu Apollo (perditor) mi!
Ah! quo me tandem duxisti? ad qualem domum?
CHO. Ad Atridarum; si tu hoc nescias,
Egomet tibi dico; non hæc dices esse falsa.

STROPHE 1.

CAS. Porro *in domum* diis invisam, multorum consciam
Mutuæ cædis malorum, et suspendiorum
Viri victimam et soli respersionem.
CHO. Sagax videtur hospita canis instar
Esse, et quorum cædem inveniet odorari.

ANTISTROPHE 1.

CAS. Hisce enim testimoniis persuadeor;
Video hosce infantulos plorantes cædem suam,
Et carnes assas a patre comestas.
CHO. Audivimus gloriam tuam fatidicam,
Audivimus, nec vates ullos quærimus.

STROPHE 2.

CAS. Heu, proh dii! quid tandem (Clytæmnestra) molitur?
Ecquod novum et magnum (doloris) onus
Magnum in hisce ædibus molitur malum,
Amicis intolerabile, immedicabile?
Auxilium vero (qui propulsare possit, *sc.* Orestes) procul abest.
CHO. Istorum inscius sum vaticiniorum:
Hæc vero cognovi; tota enim clamat civitas.

ANTISTROPHE 2.

CAS. Heu, misera! hoccine efficis,
Maritum consortem tori
Balneis recreatum? quomodo enarrem exitum?
Cito hoc peragetur. Tendit autem
Præ studio alternas manus.

CHO. Nondum intellexi; adhuc enim præ ænigmatum
Oraculis cæcatis hæsito.

STROPHE 3.

CAS. Heu! heu! papæ! papæ! quid hoc apparet?
Num everriculum quoddam Orci?
Imo vero rete est, (vestis) somni socia, socia administra
Cædis? chorus autem insatiabilis huic generi
Mala precetur ergo cædium lapidatione dignarum.

STROPHE 4.

CHO. Qualem hancce furiam (furialem cantum) per ædes jubes
Occinere? haud me exhilarat sermo.
Sed præcordia nostra invadit croco tincta
Gutta qualis bello cadentes
Comitatur in occasu vitæ *oculorum* radios.
Subita calamitas exoritur.

ANTISTROPHE 3.

CAS. Heu! heu! ecce, ecce! cohibe a vacca
Taurum: vestibus involvens
Nigricornem machina [bipenni nigro corneo manubrio instructa,]
Percutit; cadit vero in aquali vase. [in lavacro]
Narro tibi lebetis insiodosam cædem afferentis casum.

ANTISTROPHE 4.

CHO. Haud glorier oraculorum summus esse
Interpres, malo autem alicui hoc adsimilo.
Ex oraculis autem quis bonus nuntius
Mortalibus venit? Malorum enim
Annosæ artes vatum
Metus afferunt sensum.

STROPHE 5.

CAS. Heu! heu! o miseræ infelices fortunæ!
Meum enim admiscens fatum lamentor.
Quid me (ô Agamemnon) huc miseram duxisti?
Non ob aliud nisi commorituram, quorsum enim?

STROPHE 6.

CHO. Lymphatica es numine incita,

Et de teipsa profers
Cantum infaustum, sicut arguta quædam luscinia
Indefessa voce, luctuosa misera mente
Ityn Ityn lugens per vitam malis
Circumdatam.

ANTISTROPHE 5.

CAS. Heu! heu! argutæ lusciniæ fatum *mihi narras;*
Ei enim circumdederunt plumis vestitum corpus
Dii, vitamque dulcem sine luctibus *concesserunt;*
Me autem manet laceratio telo ancipiti.

ANTISTROPHE 6.

CHO. Unde ingruentes ac divinitus illatos habes
Inanes angores,
Hæc timoris plena infaustaque voce
Canis, simul cum acutissima modulatione?
Quonam terminos habes divinos viæ
Male ominatos?

STROPHE 7.

CAS. Heu nuptiæ, nuptiæ Paridis exitiales
Amicis! eheu Scamandri patria unda!
Olim juxta tuas ripas misera
Adolescebam alimentis.
Nunc vero circa Cocytum et Acherusias
Ripas videor mox vaticinatura.

STROPHE 8.

CHO. Quid hoc verbum sit quod tam clare protulisti
Vel nuper editus infans intelligere possit.
Perculsus vero sum cruento (terroris) morsu,
Dolendâ fortunâ querula mala lamentantis,
Quæ me auditu vulnerant.

ANTISTROPHE 7.

CAS. Eheu labores, labores civitatis prorsus
Perditæ! eheu antemœnialia sacrificia patris,
Quæ multos jugularunt pecudes pascuarias! remedium
Autem nullum protulerunt,
Quominus urbs ita affecta esset ut est.
Ego vero calorem *vitalem* (sanguinem) in solum effundam cito.

ANTISTROPHE 8.

CHO. Consentanea prioribus hæc locuta es.
Quisnam te furere
Dæmon facit prægravis irruens,
Teque luctuosas mortiferasque calamitates canere cogit?
Quis autem terminus erit ignoro.

CAS. Atqui oraculum (meum) non amplius per velamina
Vos aspiciet, novæ nuptæ instar:
Sed clarius effulgens [tanquam Zephyrus] versus solis ortum
Flans irruet, ut fluctus [decumani] ritu
Hac quæ nunc est calamitate multo májor adversus solem
Insonet (et effervescat): docebo autem vos jam non per ænigmata.
Et vos mihi testimonium perhibete, eodem cursu vestigium
Malorum subodoranti (naribus indaganti) quæ antehac perpetrata sunt.
Hoc enim tectum nunquam deseret chorus *furiarum*
Inter se quidem concinens sed non suavisona; non enim fausta loquitur.
Et jam inebriatus, quo audentior evadat,
Humano Comus cruore domi manet,
Infelici omine huc missus, præter istas cognatas furias.
Hymnum autem illæ canunt adhærentes ædibus
Principialem noxam; vicissim quoque despuerunt
Infensæ in eum qui lectos fratris conculcaverit.
Aberravine, an scopum attingo veluti sagittarius?
An sum quasi vates falsus, januarum pulsator nugax?
Testare verbis præjurans quod ipsa sciam
Ut eloqui possim antiqua harum ædium piacula.
CHO. At quinam juramenti compages valide pacta
Emolumento erit? te vero miror,
Trans mare educatam in urbe aliena lingua utente,
Posse loqui ac si hic præsens adfuisses.
CAS. Apollo vates me huic præfecit muneri:
Ante quidem pudor mihi erat hæc loqui.
CH. Nunquid, Deus licet, amore percitus?
Nam unusquisque nimis feliciter agens luxuriatur magis.
CAS. Quin procus fuit multum mea causa laborans.
CH. An ad liberorum opus convenistis lege?
CAS. Postquam assensissem, Apollinem fefelli.
CH. Num quando jam artibus divinis imbuta esses?

CAS. Immo jam civibus omnia prædixeram mala.
CH. Quomodo igitur impunis mansisti ab Apollinis ira?
CAS. Nulli persuasi quicquam postquam ita deliqueram.
CH. Nobis tamen videris fide digna vaticinata esse.
CAS. Heu, heu! proh! proh mala!
Me rursus gravis prophetiæ labor
Exagitat, prooemiis conturbans infaustis. [præludentibus querelis]
Videte hosce insidentes ædibus
Juvenes, somniorum spectris similes.
Pueri mortui quasi ab amicis, (ab Atreo)
Manus implentes cibo proprio carnium,
Cumque intestinis viscera, ferculum miserabile,
Apparent habentes, quæ degustavit pater ipsorum.
Propter hæc aliquem dico meditari pœnas
Leonem imbellem in lecto versantem
Domi-desidem, hei mihi! reduci hero
Meo; nam necesse est ut servile feram jugum.
Navium præfectus, Ilii eversor
Haud novit qualia lingua execrandæ canis
Dicens, et exsequens animo sereno,
Ates clandestinæ ritu infeliciter paratura sit.
Talia audet fœmina; interfectrix est
Viri. Quo igitur nomine illud monstrum invisum
Appellem? amphisbænam, aut Scyllam
Aliquam habitantem in rupibus, nautis exitium,
Sacrificantem Orci matri [morti devoventem], et implacabiles diras
Amicis spirantem? Quantum vero exultavit
Facinorosa illa, quasi in acie fugata! (victoria potita)
Videtur autem lætari ob salvum mariti reditum
Quod si nihil horum similiter persuadeam, quid tum?
Quod futurum est eveniet: et tu cito præsens
Cum miseratione vatem me dices veracem nimis.
CH. Thyestæ quidem convivium ex liberorum carnibus
Agnovi atque horrui; metus etiam me occupat,
Cum audiam vere non ex conjectura prolata,
Cætera autem dum audio e cursu devians curro.
CAS. Agamemnonis aio te visurum mortem.
CH. Male ominata verba fundentem linguam, ô misera, coerce.
CAS. At medicus nullus huic morbo præest.
CH. Non si res ita acciderit; sed ne unquam accidat, *opto.*
CAS. Tu quidem deprecare, iis vero interficere curæ est.
CH. Quonam a viro hocce paratur scelus?
CAS. Certe valde aberrasti a vaticiniis meis.

CH. Perpetraturi haud intellexi dolum.
CAS. Atqui ego satis sermonem Græcum calleo.
CH. Hæc enim sunt oraculorum decreta, sed tamen intellectu difficilia.
CAS. Proh dii! qualis calor corpus meum invadit!
Ototoi, Lycie Apollo! heu me, me!
Hæc bipes Leæna cubans
Cum lupo, Leonis generosi absentia,
Me miseram interimet: et quasi pharmacum parans
Mulier, mei etiam pretium imponet iræ.
Gloriatur gladium in maritum acuens,
Pro mea adductione se repensuram cædem.
Quid igitur circa me hæc ludibria gesto,
Et sceptra, et fatidicas circa collum corollas?
Equidem ante fatum meum hæc disperdam.
Ite in interitum cadentia: bona enim rependam:
Aliud quoddam damnum ditate (*alium quem mei vice damno afficietis.*)
En vero ipse Apollo me exuit
Fatidica veste: vidisti autem me
Etiam in hisce ornamentis irrisam, una cum
Amicis, ab inimicis, quanquam haud ambiguum est, istum risum frustra fuisse.
Quando autem appellabar, oberrans sicut circulatrix.
Mendica, misera, fame-peritura sustinui.
Et jam me vates vatem conficiens
Abegit in has exitiales miserias.
Aræ paternæ loco truncus manet culinarius,
Calida cæsæ cruenta cæde
Non tamen inulti a diis moriemur.
Veniet enim alius nostrum vicissim ultor,
Matricida progenies, vindicator patris:
Exul autem vagus et ab hoc solo ejectus
Adveniet hasce clades consummaturus amicis,
Adducet eum resupinatio jacentis patris.
Quid igitur hic ante ædes ita ingemisco?
Postquam prius vidi urbem Ilii
Agentem sicut egerit; eos autem qui civitatem
Obtinuerunt, talem exitum habentes deorum arbitrio,
Pergens ego etiam sustinebo mori.
Juratum enim est per deos juramentum magnum:
Orci januas hasce ego alloquor,
Comprecorque ut, mortalem sortiar plagam,
Ut sine lucta, sanguine laturo mortem
Effluente, hunc concludam oculum.

CH. O multum misera, multum etiam prudens
Mulier! *orationem* prosecuta es in longum. Quod si vere
Tuam mortem nosti, quomodo, instar divinitus
Impulsæ juvencæ, ad aram audacter proficisceris?
CAS. Non magis est salutis, quam temporis (ad elabendum) copia.
CH. At qui postremus est, aliquid a tempore lucratur.
CAS. Adest dies; parum lucrabor fuga.
CH. At scito te esse miseram cum sis animo confidenti.
CAS. Veruntamen decore mori gratum est mortali.
CH. Felicium nemo hæc audit.
CAS. Heu, pater, tibi et generosis liberis!
CH. Quænam res est? quis te avertit metus?
CAS. Heu, heu!
CH. Quid adeo refugis? nisi aliquis sit mentis horror.
CAS. Cædem hæc domus spirat sanguinariam.
CH. Et quomodo hæc odorata es ex victimis focariis?
CAS. Talis nidor qualis ex sepulchris existit.
CH. Haud dicis decus (unguentum) Syrium in ædibus.
CAS. Sed eo in ædibus gemitura meam
Agamemnonisque mortem. Hactenus vixisse satis esto.
Heu, hospites!
Haud trepido, virgultum uti avis, præ timore;
Verum ut mortuæ mihi hoc testamini
Mulier cum pro me muliere mortua erit,
Virque pro viro malam habente uxorem cadat.
Hæc dona hospitalia accipio ut jam moritura.
CHO. O infelix, miseror destinatum fatum tuum.
CAS. Simuladhuc dicere extremum dictum aut
Threnum velim mei ipsius. Solem autem obtestor
Usque ad extremam lucem, una cum ultoribus meis,
Inimicos cædis meæ autores ut ulciscantur simul,
Serva perempta facili negotio.
O res humanas! quas cum secundæ sint
Vel umbra quælibet everterit: sin adversæ fuerint,
Injectionibus madens spongia scripturam delet.
Atqui hæc præ illis miseror multo magis.

CHO. Bene quidem vivendi nulla satietas est
Cunctis mortalibus; digito monstratum *virum*
Beatum nemo vetans arcet ab ædibus.
Attamen ne intres talia vociferans.
Et huic quidem ut urbem Priami
Caperet concessere cœlites:
A numine honoratus domum venit.

Nunc vero si priorem sanguinem luet,
Et morientibus moriens, aliarum
Mortium pœnas gravissime adimplebit.
Quis mortalium gloriari poterit, innoxio
Genio se natum esse, hæc cum audiverit?

AGA. Ohime! lethali intus percussus sum vulnere.
SEM. Tace: quis clamat vulnus lethaliter vulneratus?
AGA. Ohime! iterum secundo ictu sauciatus.
SEM. Patrari facinus mihi videtur regis ex ejulatu.
At tuta communicemus consilia.
SEM. Ego quidem vobis meam dico sententiam,
Ut huc ad ædes clamore cives convocemus.
SEM. Mihi autem quam celerrime irruere optimum videtur,
Ac rem propalare recens madente gladio.
SEM. Et ego ejusdem sententiæ particeps suffragor
Aliquid faciendum. Nunc vero adest temporis punctum, quando minime cunctari licet.
SEM. Imo vero tempus instat videndi: exordiuntur enim quasi
Tyrannidis signa molientes urbi.
SEM. Enimvero nos cunctamur; isti autem ad futuræ [tyrannidis] honorem
Viam calcantes, non dormiunt manu. [strenue rem manibus gerunt.]
SEM. Haud novi quid cujus consilii me esse dicam:
Agentis est etiam consilium inire.
SEM. Et ego talis sum: siquidem frustra conor
Mortuum sermonibus resuscitare.
SEM. An et vitam prorogantes ita cedemus
Domos incestantibus his principibus?
SEM. At non sustinendum, quin præstat mori:
Tolerabilior enim mors tyrannide.
SEM. An ex indiciis ejulatuum
Conjiciemus virum periisse?
SEM. *Iis* qui certo sciunt de his disserendum est:
Nam conjectare et certo scire distant.
SEM. Hanc sententiam approbare omnino persuadeor,
Ut palam visamus Atridem quomodo se habeat.
CL. Multis jamdudum tempestive dictis,
Contraria fari non me pudebit.
Quomodo enim (aliter) aliquis parans hostibus hostilia, qui amici
Videntur esse, cladem inextricabilem
Circumsepire possit, cacumen saltu majus?
Hoc vero certamen mihi non incogitatum

Veteris simultatis venit, demum cum tempore:
Egoque super hostibus meis ubi ceciderunt, steti.
Ita quidem rem confeci, neque id inficiabor,
Ut neque effugiat, neque propulset mortem.
Inextricabile verriculum, quasi piscium,
Circumjicio, malas vestis divitias.
Eum autem bis ferio, et duobus ejulatibus
Solvuntur illi membra; et ei lapso
Tertiam superaddo plagam, subterranei
Plutonis mortuorum-servatoris exoptatum oblectamentum optabile.
Ita ille animam suam cadens efflat,
Ebulliensque celeri sanguinem fusum cæde
Me respergit purpurea gutta cruenti roris,
Non minus ea re lætantem quam Jovis madore
Terram, cum satis calycum partitudo [appetit. *i. e.* cum herbæ in eo sunt, ut flores aperiant.]
Hæc cum ita sint, *vos o* decus Argivorum
Gaudete, si gaudere velitis; ego vero facto exulto.
Et si adesset (rerum convenientum copia) adeo ut diis super mortuo libare possemus,
Etiam hæc jure facta essent. Quippe summo jure
Tantorum pateram in ædibus malorum iste
Implesset execrabilium, ipse reversus ebibit.

CHO. Miramur linguam tuam, quam audaciloqua sit,
Quæ talem de viro effutis sermonem.

CL. Tentatis me mulierem ut imprudentem,
Ego autem intrepido corde scientibus
Dico, tu quidem sive adprobare, sive me culpare velis,
Idem est. Hicce est Agamemnon, maritus
Meus, hac dextra mortuus:
Facinus justæ artificis. Hæc ita se habent.

STROPHE.

CHO. Quid malum (venenum,) o mulier, terra-genitum
Esculentem aut poculentum gustans, crispo
Vel mari ortum, hanc parasti hostiam
Et populares diras? prostravisti, jugulasti:
Urbe igitur ejicieris, ingens odium civibus.

CL. Nunc quidem decernis ab urbe exilium mihi,
Et odium civium, popularesque ut diras habeam,
Nihilque adversum hunc virum afferens:
Qui non præferens (vitam filiæ,) tanquam pecoris mortem,
Ovium abundantium gregibus bona vellera habentibus,

Sacrificavit natam suam, mihi charissimum
Partum, placatricem flatuum Threiciorum.
Nonne hunc te virum oportuit e patria pellere
Pro mercede piaculorum? tu autem nostrum audiens
Facinus, judex severus factus es. Pronuntio tamen
Tibi me hæc minari, ad hoc me paratam esse,
Si tu similiter me manu viceris,
Mihi imperabis; sin aliter decernat deus,
Scies edoctus sero licet sapere.

ANTISTROPHE.

CHO. Animo elato es, et superba
Locuta es. Velut cædem spiranti fortuna
Mens tibi furit. Stilla super oculis (in fronte)
Sanguinis haud inulta manet. Adhuc oportet te
Amicis orbam plagam plaga pendere.

CL. Et audis hanc mei juramenti sanctitatem;
Per vindicem filiæ meæ Justitiam,
Per Aten ac Erinnyn, quibus ego hunc mactavi,
Nunquam verebor ne timoris templum ingrediar
Quamdiu accendat ignem in foco meo
Ægisthus, sicut antea mihi benevolus.
Ille enim nobis scutum haud parvum confidentiæ.
Jacet mulieris hujus (Cassandræ) corruptor,
Chryseidum ad Ilium deliciæ;
Et hæc captiva oraculaque effutiens,
Et huic consors tori, divinatrix
Fida concubina, transtra nautica
Simul conterens. Impunia vero facinora haud tulerunt.
Ille quidem ita (pœnas luit:) hæc vero, cygni instar,
Extremum modulata funebrem lessum,
Jacet hujus amasia, mihi vero adduxit
Cupedias (cumulum) mei lecti deliciarum.

STROPHE 1.

CHO. Heu! aliqua repentina, non dolore afficiens,
Nec diu nos lecto affigens,
Veniat æternum afferens nobis
Parca interminabilem somnum, cæso
Custode benignissimo *regni*, et multa
Perpesso mulieris ergo;
Per mulierem vero vitam perdidit.

O iniquam Helenam, una quæ multas,

Multas admodum animas
Perdidisti ad Trojam!
Nunc vero nobilem claram (Agamemnonis animam)
Deflorasti ob sanguinem inexpiabilem (Iphigeniæ.)
Talis erat tunc in ædibus
Eris viri domitrix ærumna.

CL. Nequaquam mortis sortem exopta
Hisce gravatus;
Neque in Helenam iram convertas,
Tanquam virorum perditricem, ac si una multorum
Virorum animas Græcorum perdens,
Insanabilem dolorem effecerit.

ANTISTROPHE 1.

CHO. O Dæmon, qui gravis incumbis in has ædes
Et in geminos Tantalidas,
Mulieri victoriam, æquam ejus ferociæ,
Cor meum vellicantem præbes. (perficis)
Super corpore vero instar
Corvi invisi sistens, nefarie
Hymnum canere gloriatur.

CL. Nunc autem correxisti oris sententiam,
Illum tricubitalem (ingentem)
Genium hujus gentis incusans.
Ab illo enim libido sanguinem effundendi
In visceribus alitur, priusquam cessaverit
Antiquus dolor, novus cruor (manet.)

STROPHE 2.

CHO. Certe magnum hisce ædibus
Genium et ira gravem laudas.
Heu! heu! mala laus damnosæ
Et insatiabilis fortunæ!
Eheu a Jove,
Omnium authore, omnium effectore!
Quid enim mortalibus absque Jove perficitur?
Quid horum non a Deo est decretum?
Heu! heu!
Rex, rex, quomodo te deflebo?
Amica e mente quidnam dicam?
Jaces araneæ in textura
Isto impia morte animam expirans,
Hei mihi, mihi hunc lectum in-

dignum! dolosa cæde domitus
Manus ancipiti telo.

CLY. Dicis meum esse hoc opus.
Sed ne dicas
Me Agamemnonis conjugem fuisse.
Assimilatus vero uxori mortui
Hujus priscus acerbusque alastor
Atrei diri epulatoris
Hunc punivit,
Perfectæ ætatis virum juvenibus mactans.

ANTISTROPHE 2.

CHO. Quod autem insons es
Hujus cædis, quis testis *erit?*
Ubi, ubi est? patri adjutor
Fiat alastor.
Adigitur vero cognatis
Sanguinis profluviis
Niger Mars (ad cædem cæde ulciscendam), donec eo progressus
Terroris frigus illi puerorum voratori incutiat.

Heu! heu!
Rex, rex, qui te deflebo?
Amica e mente quid dicam?
Jaces araneæ in textura
Hac impia morte animam expirans,
Hei mihi, mihi hunc lectum in-
dignum! doloso fato domitus
Manus ancipiti telo.
CLY. Mortem haud indignam arbitror
Huic contigisse.
Nonne enim ille insidiosam Aten
Ædibus induxit? sed meam ex ipso
Progeniam susceptam, multum defletam
Iphigeniam, cum indigne affecerit,
Digna passus, nihil in inferno
Glorietur, gladio inflicta
Morte luens quæ prior perpetravit.

STROPHE 3.

CHO. Incertus sum animi, consilii expers,
Intentissimam curam

Quonam dirigam, labente domo.
Timeo vero imbris cruenti sonum domum
Evertentis; desinit enim guttatim pluere.
Vindictamque in aliud crimen acuit
Aliis cotibus Parca.

SEM. Heu, terra, terra!
Utinam me (in sinum tuum) recepisses antequam hunc vidissem
Latera argentea habentis
Alvei nunc humile possidentem cubile.
Quis eum sepeliet? quis lacrymabitur?
An tu hoc facere
Sustinebis, quæ tuum ipsius occidisti virum,
Ut ejus animam lugeas, adeoque ingratam
Gratiam pro facinore
Magno injustoque retribuas?
SEM. Quis sepulchrale
Elogium in virum divinum
Cum lacrymis pronuntians
Mentis sinceritate panget?
CLY. Haud tibi convenit curam dicere
Istam: per nos cecidit, interiit:
Et sepeliemus
Non cum familiæ luctibus,
Sed Iphigenia eum lubenter
Filia, uti decet,
Patri obvians ad rapidum
Trajectum mœrorum, *Acherontis sc.*
Manum circumjiciens osculabitur.


ANTISTROPHE 3.

CHO. Probrum hoc vicissim succedit probro.
Difficilia vero sunt hæc judicatu.
Auferentem aufert, luit vero qui interfecit.
Et manet eum, in tempore manente Jove,
Ut patiatur qui fecit *malum*. Nam legitimam
Prolem suam quis facile relegaret domo?
Agglutinatur enim stirpi adhærere.

CLY. In hunc supervenit vere
Oraculum. Ego igitur
Velim, Genio Plisthenidarum
Juramento dato, his quidem contenta esse, (patienter latura)

Etsi toleratu difficilia sint; dum de cætero ille
Migrans ex hisce ædibus aliam familiam
Conterat mutuis propinquorum cædibus.
Possessionum autem partem modicam modo habeam,
Mihi omnino sufficit, modo ut insanias
Mutuarum cædium ædibus expulerim.

ÆG. O lucem hilarem diei vindictam afferentis!
Jam tandem dicerem mortalium ultores
Deos desuper speculari terræ piacula,
Cum viderim textis in peplis furiarum
Virum hunc jacentem grate mihi,
Manus paternæ luentem facinus.
Atreus enim terræ hujus princeps, illius pater,
Thyestem patrem meum, ut aperte dicam,
Et ipsius fratrem, litigans cum eo de imperio,
Relegavit ex urbe atque ædibus.
Et supplex ad aram domesticam rediens
Miser Thyestes, sortem invenit securam,
Ne moriens cruentaret paternum solum.
Pro xeniis enim hujus pater impius
Atreus, alacriter potius quam amice, patri
Meo, viscerationis diem hilariter agere
Simulans, exhibuit convivium carnium filiorum.
Pedum quidem plantas et manuum extremos pectines
Occuluit seorsim ab iis qui viritim assidebant.
Accipiens autem statim ex ignorantia partes haud
Agnoscendas, comedit cibum, ut vides, generi exitialem.
Et postea agnoscens facinus inhonestum
Valde ejulavit, reciditque carnes evomens,
Mortem vero intolerabilem Pelopidis imprecatur,
Cœnam calce cum diris juste petens.
Ita periit universum Plisthenis genus.
Ob hanc causam occisum hunc videre tibi licet,
Et hujus cædis ego justus consarcinator.
Decimum tertium enim me *filium* simul cum ærumnoso
patre
Expellit cum essem parvulus in fasciis.
Educatum autem me reduxit justitia.
Atque hunc quidem virum ego tetigi etiam cum foris
Essem, omnem connectens perniciosi consilii artem.
Ita jam pulchrum est mihi vel mori,
Cum viderim illum vindictæ in septis.



CHO. Ægisthe, contumelia afficere in malis haud laudo.
Tu vero virum hunc quod voluntarie occideris ais,

Et quod solus miserandam hanc consulueris cædem,
Nego evitaturum in judicio caput tuum
A populo jactatas cum lapiatidone diras; hoc certo scito.
ÆG. Tune hæc profers inferiori assidens
Remo, dum ii qui in transtro sunt hasta rerum potiuntur?
Scies, senex cum sis, quam vere dicatur
Homini ejus ætatis difficile esse sapere discere.
Vinculum autem et senecta, et famelicæ
Calamitates, ad docendum optimæ animi
Medicæ. Hæc videns nonne vides? (quid tibi prosit?)
Ne contra stimulos calcitres, ne patiendo labores.
CHO. Tune ergo, mulier, e bello nuper redeuntis
Domum servans lectum viri dehonestans, etiam
Viro imperatori hanc designasti mortem?
ÆG. Et hæc quidem verba planctuum principia.
Orpheo vero linguam habes contrariam:
Ille enim omnia attraxit vocis suavitate;
Tu vero irritans stolidis latratibus
(Ad vincula) traheris, devictusque mansuetior apparebis. (fies.)
CHO. Quomodo tu mihi rex Argivorum eris,
Qui, cum illi mortem destinaras,
Facinus ipsemet propria manu patrare non ausus es?
ÆG. Quoniam dolo agere plane muliebre est opus:
Ego vero ut antiquus hostis suspectus eram.
Verum ex hujusce viri opibus conabor
Civibus imperare; atque immorigerum
Vinciam gravibus catenis, tanquam frenis asperum
Et pabulo nimio ferocientem pullum: quin invisis tenebris
Fames cohabitans eum mansuetum videbit.
CHO. Quid vero virum hunc ex animo timido
Ipsemet non occidebas? at simul fœmina
Regionis deorumque patriorum piaculum
Interfecit. Orestes num alicubi lucem videt?
Ut huc reversus, benevola fortuna duce,
Utriusque fiat occisor fortissimus.
ÆG. At quoniam videris hoc facere atque dicere, cito cognosces.
CHO. Eia, amici manipulares, opus hoc non procul.
Eia, quilibet gladium districtum præparet.
ÆG. Atqui etiam ego gladio districto haud renuo mori.
CHO. Suscipientibus (omen) dicis te moriturum: fortunam autem interrogabimus. [periculum faciamus]
CLY. Nequaquam, o charissime virorum, mala malis cumulemus.
Verum et hæc multa metere est infelix messis.

Calamitatum enim satis est; neminem cruentemus.
Ite, o senes, ad domus proprias
Antequam patiamini. Tempori cedentes oportebat nos facere id quod fecimus.
Si autem quid laborum fuerit, horum satis haberemus,
Dæmonis ira gravi infæliciter percussi
Sic se habet mulieris sententia, si quis discere dignetur.

ÆG. Sed hos stultum linguæ florem decerpere
Et projicere ejusmodi verba fortunam tentantes,
Sed moderata a sententia aberrare, imperanti non est ferendum.

CHO. Argivis absit viro adblandiri malo.

ÆG. Verum ego extremis in diebus tibi adero.

CHO. Minime, si Deus Orestem huc ut revertatur dirigat.

ÆG. Novi ego extorres viros spem depascentes.

CHO. Facito, floresce, contaminans justitiam; siquidem tibi copia est.

ÆG. Scito te daturum mihi pœnas hujus stultitiæ ergo.

CHO. Gloriare confisus, tanquam gallus prope gallinam.

CLY. Ne tanti facias inanes hos latratus; Egomet
Et tu pulchre rem administrabimus, hisce imperantes ædibus.

CHOEPHORŒ.

DRAMATIS PERSONÆ.

ORESTES.
CHORUS.
ELECTRA.
NUTRIX.
CLYTÆMNESTRA.
FAMULUS.
NUNTIUS.
PYLADES.

Prologum agit Orestes.

CHOEPHORŒ.

ORESTES.

MERCURI terrestris, qui paterna inspectas imperia,
Servator mihi sis, et adjutor roganti;
Venio enim in hanc terram, et revertor *ab exilio.*
Ad oras tumuli hæc renuntio patri,
Ut audiat et ausculet. * *
* * * * * *
* * * comam Inacho nutritiam
Hanc secundam, hanc luctuosam
* * * * * * *
Quam ego rem video? quænam hæc caterva
Procedit mulierum, vestibus pullis
Ornata? quali calamitati hoc assimilabo?
Funusne aliquod novum domi accidit?
An patri meo hasce *fœminas* conjiciam
Inferias ferre, mortuorum delinimenta?
Haud aliter est; etenim Electram arbitror
Incedere, sororem meam, luctu gravi
Conspicuam. O Jupiter, da mihi ulcisci necem
Patris, et mihi adjutor esto libens!
Pylade, consistamus seorsum, ut ego certo
Dicam quænam hæc sit mulierum supplex pompa.

STROPHE 1.

CHO. Missa, ex ædibus egressa sum
Inferiarum prævia deductrix frequenti manuum collisu.
Apparet gena lacerationibus cruentis
Unguium sulco recens-inciso;
Cor vero perpetuo gemitibus pascitur.
Liniperdæ textilium vestium
Laciniæ ruptæ sunt præ dolore,
Pectorales amictus
Peplorum, deflendis
Miseriis concussorum.

ANTISTROPHE 1.

Penetrabilis enim horror comas erigens,
In ædibus per somnia præsagiens, in somno viam
Spirans, intempestivum media nocte clamorem
E penetralibus edidit terribiliter,
Fœminarum in cubicula graviter irruens.
Porro horum somniorum interpretes
Divinitus vaticinati sunt, vera se loqui sponsione quasi addita testificantes
Quod qui sint subter terram conquerantur
Gravissime,
Et interfectoribus indignentur.

STROPHE 2.

Talem gratiam ingratam,
Averruncatricem malorum,
Eheu terra, terra !
Procurans (cupiens) me mittit
Impia mulier *Clytemnestra :* Metuo autem
Verbum hoc proferre.
Quin enim? triste hoc est inferiarum beneficium sanguine semel in terram effuso.
Eheu ærumnosissima domus !
Eheu eversiones ædium !
Expertes Solis, hominibus invisæ
Tenebræ operiunt ædes,
Propter cædem dominorum.

ANTISTROPHE 2.

Majestas inexpugnabilis, indomita,
Olim indebellata,
Per aures mentemque
Populi permeans,
Nunc recessit. Metuit vero
Quis? Prospere agere
Hoc inter homines Deus est, et plus quam Deus.
Impetus justitiæ animadvertit
Celer aliquos ipso die, (circa meridiem)
Aliis vero, in dubia crepusculi luce
Tarda ira dolores germinant,
Alios autem inactuosa coercet nox.

Propter sanguinem epotum a terra altrice

Cruor ultionem provocans fixus est, non diffluens. (evanescens.)
Noxa luctuosa dilacerat autorem
Ut omnes vires exhauriente morbo scateat.
Expugnatori virginalium thalamorum nullum datur
Remedium; fluviique omnes uno alveo
Euntes detestandam
Cædem purgaturi, irent frustra.
Mihi autem necesse est, necessitatem enim urbi communem
Dii imposuerunt: etenim e domo
Paterna nos in servilem induxerunt conditionem,
Justa et injusta,
Prout vitæ nostræ fortunæ convenit,
Eorum qui vi agunt laudare, acerbum mentis
Odium coërcenti: lugeo tamen sub vestibus
Infaustam domini
Sortem, occultis luctibus congelata.

ELE. Ministræ fœminæ, dispensatrices domus,
Quoniam adestis hujus placationis una mecum
Deductrices, estote etiam de his consultrices:
Super busto fundens has sepulchrales inferias,
Quomodo benevola loquar? quomodo patrem invocem?
Utrum dicam a chara uxore ad charum
Virum me ferre, a matre scilicet mea?
Hoc non ausa sum, neque habeo quid dicam,
Effundens hoc libum super bustum patris.
Aut hoc potius dicam, prout mortalibus lex est,
Rependere par hæc mittentibus
Serta, mercedem malorum dignam?
Aut tacite inhonore, quemadmodum periit
Pater, hæc effundens, effusionem a terra bibendam,
Retro cedam, veluti quis effundens purgamenta,
Abjiciens vas oculis irretortis?
Hujus este consilii, o amicæ, participes:
Commune enim existimamus odium in ædibus.
Neque occultate in corde, timore cujusquam.
Fatum enim et liberum *virum* manet,
Et eum qui sub dominio est alienæ manus.
Eloquere, si quid his habes melius.
CHO. Reverita, ut altare, sepulcrum patris,
Ex animo, jubes enim, sententiam loquar.
ELE. Loquere igitur, ut revereris sepulcrum patris.
CHO. Effundens, bene precare benevolis.
ELE. Quinam vero sunt hi amici quos nominem?

CHO. Primum quidem teipsam, et quisquis Ægisthum odit.
ELE. Mihi tibique igitur hæc vota fecero?
CHO. Tu ipsa, jam satis gnara, hæc dicas.
ELE. Quem igitur alium addam huic cœtui?
CHO. Recordare Orestis, ipse sit licet procul.
ELE. Recte hoc, et non parum me prudentem reddidisti.
CHO. Nunc cædis recordata, authoribus
ELE. Quid dicam? ignaram instruens doce.
CHO. Ut adveniat illis Deus, aut mortalium aliquis——
ELE. Num judicem, aut vindicem dicis?
CHO. Simpliciter dicas, qui vicissim interficiat.
ELE. Et hæc a me dicta pie a Diis postulabuntur?
CHO. Quidni? inimico rependere mala.
ELE. *Adsis* Mercuri terrestris, nuncians mihi
Subterraneos Deos meas audire
Preces, paternarum ædium inspectores,
Ipsamque terram, quæ omnia parit,
Et nutriens, denuo horum fœtum excipit.
Egoque, hanc aquam lustralem effundens mortalibus
Dico, invocans patrem, Miserere mei
Charique Orestis, ut ædibus imperemus.
Nunc enim tanquam deleti erramus
A genitrice, quæ *te* permutavit marito
Ægistho, qui tuæ cædis author est.
Et ego quidem pro serva habeor: ex possessionibus
Vero arcetur Orestes, hi autem superbe,
In laboribus tuis luxuriantur multum.
Huc ut veniat Orestes feliciter
Rogo te: tu vero audi me, pater,
Concede mihi, ut modestior multo sim
Matre, et ut manus sit magis pia.
Nobis quidem hæc vota; sed adversariis
Apparere dico te, Pater, ultorem,
Et interfectores vicissim interficere juste.
Hæc in medio bonæ meæ precationis pono,
Illis optans hanc malam execrationem.
Nobis vero sursum mittas fausta,
Cum Diis, Terraque, et Vindicta victrice.
In hæc vota has libo inferias.
Vos autem lamentis abundare æquum est,
Pæana super mortuum accinentes.

CHO. Fundite lachrymas inter singultus et lugubres querelas effusas
Perdito domino

Ad præsidium nobis bonorum,
Ad averruncum mala deprecans piamentum,
Effusis inferiis. Audi vero me, audi (preces)
Veneran de domine, quas ex corde (malis) obnubilato (fundo.)
Otototototototoi! eheu!
Quis hasta potens vir, Œdium liberator
Scytha, in manibusque recurva in pugna
Jacula concutiens Mars,
Gladiosque ad feriendum promptos vibrans?
* * * * * *

ELE. Habet nunc quidem a terra epotas inferias pater,
Præco maxime eorum qui supra et infra sunt.
Novi autem hujus sermonis estote participes.
CHO. Dicas; salit autem cor præ metu.
ELE. Detonsum video cincinnum super busto.
CHO. Cujus tandem viri, aut alte succinctæ virginis?
ELE. Hoc cuilibet facile est conjicere.
CHO. Quomodo ego senior a juniore discam?
ELE. Non quisquam est præter me, qui hunc detondit.
CHO. Inimici enim ii sunt quibus convenit capillo lugere.
ELE. Etiam hic est ad aspectum pene similis.
CHO. Quibus capillis? hoc enim scire expeto.
ELE. Ipsis nostris valde aspectu similis est.
CHO. Numquid igitur Orestis occulte hoc sit donum?
ELE. Maxime ipsius cincinnis assimilatur.
CHO. At quomodo ipse huc venire ausus est?
ELE. Misit capilli detonsi gratiam patri.
CHO. Non minus deflenda hæc mihi dicis,
Si hanc regionem nunquam attinget pede.
ELE. Et meo astitit cordi tempestas
Fellea, percussa etiam sum quasi jaculo penetranti;
Ex oculis vero (præ dolore) siccis deciderunt mihi
Guttæ improvisæ inundationis hybernæ instar,
Cincinnum intuenti hunc: quomodo enim credam
Civium quenquam alium hujus dominum cæsariei?
Verum neque quæ interfecit hunc totondit,
Mea quidem mater, animum nequaquam [materno] nomine dignum
Liberis odiosum possidens.
Ego autem quomodo contra laudabo,
Esse hoc ornamentum charissimi mihi
Mortalium Orestis: spe autem adulor.
Heu! Utinam haberet vocem lætam, instar nuncii,
Ut animi dubia amplius non fluctuarem.

Sed bene perspicuum respuere cincinnum,
Siquidem ab hostili capite detonsus fuerit,
An consanguineus cum esset una mecum lugeret,
In ornamentum hujus sepulcri, et honor patris.
Sed Deos invocemus, qui norunt
Quali in tempestate, nautarum instar,
Agitamur: si vero oportet consequi salutem,
Parvi seminis fiat magna radix.
Et quidem vestigia, secundum indicium,
Pedum consimilia, et meis æqualia sunt.
Etenim duo hæc sunt pedum delineamenta
Illius ipsius et cujusquam itineris socii.
Calces tendinumque descriptiones mensuratæ
In idem conveniunt meis vestigiis.
Adest vero dolor, et animi conturbatio.

ORE. Precare ut reliqua, Diis persolvendas
Preces enuncians, recte succedant.

ELE. Quid ergo nunc Divum auxilio assecuta sum?

ORE. In conspectum eorum venis quos nuper videre expetisti.

ELE. Quem vero mortalium nosti me vocare?

ORE. Novi te Orestem efflictim cupientem.

ELE. At quid assequor eorum quæ petii?

ORE. Ipse ego sum: ne quære qui tibi sit amicus magis.

ELE. Verum dolum aliquem, o hospes, mihi nectis.

ORE. Ipse ergo contra meipsum dolos machinor.

ELE. Sed meis in malis ridere vis.

ORE. In meis quoque, si modo in tuis.

ELE. Revera Orestem hisce ego te alloquor?

ORE. Ipsum igitur intuens vix agnoscis me.
Detonsam autem hanc videns sepulchralem cæsariem
Cumque meis tua vestigia comparans
In spem erecta es, et me videre expectavisti,
Tui autem fratris congruentis cum tuo capite
Considera cincinnum capilli, sectioni apponens:
Ecce vestem hanc, tuæ manus opus,
Instrumenti textorii plagas; et amplius, ferarum imagines.
Cohibe te, neque gaudio attonitum reddas animum.
Amicissimos enim nobis acerbos esse sensi.

ELE. O dilectissima cura paternæ domus,
O sæpe jam defleta spes, generis paterni sospitatrix,
Robore fretus, domum recuperabis patris.
O jucundus oculus, quatuor mihi vices [fratris, patris, matris, sororis] præstans!
Te enim ut alloquar necesse jam habeo.
Amor meus erga patrem et matrem in te

Vergit, illa vero justissime odio habita est:
Imo et Sororis crudeliter mactatæ:
Fidus frater es, mihi honorem ferens:
Modo Robur et Vindicta, una cum tertio
Jove omnium maximo, adsint mihi.

ORE. Jupiter, Jupiter, horum speculator esto omnium:
Aspice vero prolem orbam aquilæ patris,
Qui occubuit inter plicas et spiras
Atrocis viperæ. Hos autem orbatos patre
Jejuna premit fames: non enim valent
Prædam paternam nidis inferre.
Ira et me et hanc, Electram dico,
Videre tibi est, prolem patre orbatam,
Utrosque eodem modo exules ab ædibus.
Tibi sacra facientis teque honorantis maxime,
Patris pullos hosce perdens, unde
Habebis a simili manu lauti epuli præmium?
Neque Aquilæ prolem interficiens, iterum
Habebis quo mittas mortalibus signa persuasoria.
Neque imperii hæc radix a te funditus exsiccata
Aris *tuis* auxiliabitur, diebus quibus boves mactantur.
Curam gere, e parva tollas in
Magnam domum, quæ videtur nunc plane cecidisse.

CHO. O liberi, o servatores domus paternæ,
Silete: ne quis audiat, o filii,
Linguæque gratificans cuncta hæc enunciet
Imperantibus: quos o si videam aliquando ipse
Mortuos in fuligine flammæ picea!

ORE. Nunquam me destituet Loxiæ prævalidum
Oraculum, jubens ut hoc periculum pertransirem,
Et sublata voce multa efferens (excitans,) et intolerabiles
Pœnas, sub hepate calido minatus,
Nisi ulciscerer patris interfectores,
Eodem omnino modo vicissim interficere me jubens,
Paternorum bonorum ereptionibus efferatum.
Me vero dixit charæ animæ has
Pœnas daturum, sustinentem multa injucunda mala.
Ac primum quidem ad placanda irata numina pœnas ex terra (terræ sterilitate imposita)
Civibus enuncians dixit, hosce mihi morbos,
Carnibus insidentes sævis maxillis
Lepras exesuras antiquam naturam,
Albos autem capillos una cum hac exoriri lue.
Aliosque denunciavit (mihi Apollo) impetus Furiarum
A paterno sanguine effectos,

Clare videnti in tenebris supercilia moventem.
Telum enim tenebrosum inferorum,
Qui sceleratorum consanguineorum manu perierunt,
Et rabies, et inanis nocturnus timor
Agitat, turbat, et per urbem insequitur
Æreo flagro laceratum corpus. [hominem misere affectum.]
Atque his quidem neque poculi
Participes fieri fas est, neque libaminis,
Ab aris recedere, non visam patris
Iram sustinere oportet; nec cum quoquam habitare,
Omnibus vero despectum et invisum tandem mori,
Pessime maceratum in exitialem mortem.
Talibus oraculis necesse est credere:
Quod si non credidero, hoc tamen patrandum est.
Multa enim in unum coincidunt desideria,
Deique jussa, et patris luctus gravis,
Et rerum premit inopia,
Et ne cives mortalium præclarissimi,
Trojæ eversores glorioso animo,
Duabus mulieribus sint subditi;
Mens enim (Ægisthi) fœminea est: si vero non, statim ipse experietur.

CHO. At, o magnæ Parcæ, *date* ex Jovis decreto
Hac terminari negotium,
Qua jus transit.
Pro odiosa lingua odiosa
Lingua rependatur; debitum
Exigens Justitia altum clamat,
Pro mortifera plaga mortiferam
Plagam sustineat. Agentem pati,
Valde antiquus sermo hæc dicit.

STROPHE.

ORE. O pater, gravia perpesse pater, quid tibi
Loquar, aut quid faciam,
Secundo vento a longe huc accedens,
Ubi te lectus *feralis* tenet,
Lux tenebris par?
Gratiæ vero pariter
Vocantur dolor celebris
Ab Atridis qui prius domos habuere.

CHO. Fili, animum

Defuncti non domat
Valida ignis maxilla,
Manifestat vero postea iras.
Lugetur autem mortuus,
Manifestus fit qui eum læsit.
Patrumque et matrum [parentum]
Gemitus justus investigat
Omnia, ab utraque parte (valde) conturbatus.

ANTISTROPHE.

ELE. Audi, o pater, per vices
Multum lachrymabiles dolores.
Duorum liberorum lamentatio
Sepulchralis ingemiscit.
Bustum vero et supplices excipit,
Pariterque exules.
Quid horum bene? quid sine malis?
Non invicta est calamitas *nostra*.

CHO. At enim vates Apollo ex his querelis
Patrare possit lætitiæ voces;
Et loco gemituum sepulcralium
Pæan ædibus Regiis
Amicum recens-ascitum restituat.

ELE. Si enim sub Ilio
Ab aliquo Lyciorum, pater,
Hasta percussus occubuisses,
Linquens gloriam (velut hæreditatem) in ædibus,
Liberorumque viis (vitæ)
Invidendam fortunam parans,
Amplum habuisses
Sepulcrum in transmarina terra [litore Troadis]
Familiæ tuæ tolerabile,
Amicus inter amicos
Qui honeste illic occubuerant,
Etiam sub terra insignis,
Venerandus rex,
Sacerdosque maximorum
Regum apud inferos imperantium;
Rex enim eras quamdiu vixisti,
Ex eorum numero, qui munus regium sibi facto creditum
Tum bellica virtute, tum eloquentia populo persuadenti ornant.

Neque sub Trojæ
Mœnibus occisus, pater,
Cum alia hasta cæsa militum turba
Apud Scamandri fluentum sepultus es.
Utinam vero, priusquam sic sub interfectoris
Manu occubuisses,
Ut exitiale fatum
E longinquo aliquis audivisset
Horum laborum expers.

CHO. Hæc quidem, o nata, auro potiora,
Magnaque fortuna et hyperborea
Majora loqueris: doles enim.
Verum gemini hujus flagelli
Sonus advenit: horum quidem auxiliatores
Sub terra; horum vero qui dominantur,
Invisorum horum, manus impuræ sunt:
Liberis vero (*Agamemnonis*) hoc multo majus pertinet
[multo vehementius hoc duplex flagellum vexat]

ELE. Hoc me penetravit tanquam sagitta.
CHO. Jupiter, Jupiter, ab inferis immittens
Tarde-punientem vindictam
In mortalium audax et fraudulentum
Genus, certe similiter matri delegabitur,
Mihi detur concinere
Amarum ejulatum
Viri interfecti,
Mulierisque perditæ.
Quid enim animi sensa occulto?
Fatum tamen circumvolitat.
Verum ante faciem,
Acerbumque cor,
Ira, infensum odium.
Quando vero præpotens
Jupiter manum injiciet?
Heu! heu! capita (dominos, qui nunc sunt) interficiens.
Fidelia fiant huic regioni.
Vindictam super injustis expeto.
Audite vero a terrestribus honoratæ *Furiæ*.

Quinetiam lex est, ex cæde guttas
Fusas in terram, alium requirere
Sanguinem. Inclamat enim exitium Erinnys,
A prius interfectis vindictam
Aliam vindictæ addens.

Ubi, ubi estis inferorum potestates? *Furiæ*,
Videte, præpotentes diræ interfectorum,
Videte Atridarum reliquias ad angustias
Redactas, et ab ædibus
Inhonore motas. Quo quis se vertat, o Jupiter?
ELE. Subsilit iterum mihi charum cor,
Hunc audienti gemitum.
Et modo pusillanima sum,
Viscera mea conturbantur
Verbum hoc dum audio.
E contra, cum fortia
Strenuaque *profers*, destillat dolor,
Ut res mihi prosperæ videantur.
Quid vero dicemus? num dolores
Quos passi sumus a genitrice
Blandiri licet? hæc autem nequaquam demulcentur.
Tanquam lupa vorax
Implacabilis est matris ira.
Icit ictum Martium, Cissiæ
More bellatricis,
Firmiter scilicet inconcussos et circumductos videre
Licuit, frequentes manus ictus:
De loco superiore e longinquo huic plagarum crepitui respondebat
Pulsatum nostrum et miserrimum caput.
Eheu! eheu! inimica
Audacissima mulier, quæ hostili funere
Sine civibus Regem
Sine luctibus
Maritum indefletum sepelire sustinuisti!
ORE. Inhonora sunt cuncta quæ memorasti, hei mihi!
Patris vero ignominiam (mater mea) certe luet
Auxilio quidem deorum,
Auxilioque nostrarum manuum.
Deinde, cum interfecero, moriar.
ELE. Amputatæ sunt extremitates corporis, ut hoc quoque scias
Quo autem modo interfecerat, eodem modo etiam sepelivit,
Mortem inferre cupiens
Non tolerandam ævo tuo.
Audis paterna opprobria.
ORE. Dicis paternam necem.
ELE. Ego vero secessi
Inhonora, nihili æstimata.
Conclavi exclusa instar canis noxiæ,

Promptiores risu effudi lacrymas,
Gaudens quod luctuosum gemitum absconderem.
Hæc audiens animo
Inscribe, per aures vero deinde fac
Ut quieta mentis agitatione altiorem cælaturam ducas
Hæc enim sic se habent,
Reliqua vero ut ipse intelligas enitere.
Convenit autem inflexibili robore eos aggredi.
ORE. Te dico; adsis amicis, pater.
ELE. Ego quidem tibi accino lachrymans,
Totusque hic chorus sic acclamat,
Audi in lucem reversus,
Et opitulare adversus hostes.
Mars Marti auxiliare, Vindicta Vindictæ.
Eheu Dii, perficite juste.
CHO. Tremor mihi subrepit audienti has preces.
Fatum ab antiquo manet,
Precantibus autem adveniat.
Heu labor consanguineus,
Et incongrua vindictæ
Sanguinolenta plaga!
Heu gemendos intolerabiles luctus!
Eheu dolorem non sedandum,
Ædibus ulcerosum.
Propinquos non alienis
Et peregrinis, sed sibi ipsis invicem
Vitam adimere, sanguineorum
Deorum sub terra hic est hymnus.

Verum audientes, beati terrestres *Dii*,
Hanc precationem, mittite opem
Liberis lubenter ad victoriam.

O Pater, qui more non regio obiisti,
Precanti mihi concede ut dominus sim ædium tuarum.
ELE. Et ego, pater, tua hac ope indigeo,
Ut fugiam magnam Ægistho inferens mortem.
ORE. Sic enim legitimæ tibi mortalium dapes
Fient; si vero non, inter bene cœnantes eris
Inhonorus in pyris nidore fumantibus terræ.
ELE. Et ego tibi libamina nuptialia meæ hæreditatis
Afferam ex paternis ædibus:
Omnium autem præcipue hoc bustum colam.
ORE. O terra, da mihi ut pater inspiciat pugnam.
ELE. O Proserpina, des et præclarum robur.

ORE. Memento balneorum quibus interfectus es, pater.
ELE. Memento etiam retis quo te interemerunt.
ORE. Catenis non ferreis captus es, pater.
ELE. In tegminibus turpiter excogitatis.
ORE. Numquid excitaris his opprobriis, pater?
ELE. Numquid erectum tollis charissimum tuum caput?
ORE. Justitiam mitte quæ auxilietur amicis,
Aut similia invicem des ut damna accipiant,
Si quidem superatus vicissim superare velis.
ELE. Et hunc extremum exaudi clamorem, pater,
Videns pullos hosce tuo insidentes tumulo.
Miserere fœminæ, prolisque pariter maris:
Et ne extinguas hoc semen Pelopidarum.
Sic enim, non moreris, ne mortuus quidem.
Liberi enim fama salutaris viro
Morienti: sunt tanquam suberes qui ducunt rete,
E fundo contortum servantes funiculum.
Audi, pro te enim fiunt hi questus.
Ipse vero servaris, hunc honorans sermonem:
Et quidem inculpatum hunc sermonem honorans
Honorem hujus sepulchri adhuc ne defleti assequaris.
Quod reliquum est, quoniam animo jam erectus es ad facinus aggrediendum,
Fac, fortunam experiens.
ORE. Sic erit; extra cursum autem non est, interrogare
Unde inferias misit, quo verbo *mota*
Tardius curans insanabile malum:
Mortuo vero, non id curanti, misera gratia
Missa est: non habeo unde conjiciam qualia sint
Hæc munera, minora vero sunt peccato.
Omnia enim si quis effuderit pro sanguine
Unius, inanis est labor; ita se res habet.
Cupienti, si modo nosti, hæc narra mihi.
CHO. Novi, o fili, adfui enim; et, ex insomniis
Et noctivagis terroribus perculsa
Inferias hasce misit, Diis invisa mulier.
ORE. Numquid somnium etiam audivistis, ita ut recte referatis?
CHO. Parere Draconem visa est, ut ipsa ait——
ORE. Ubi tandem finit et terminatur sermo?
CHO. In fasciis, instar pueri, involvere
Aliquo cibo indigentem, recens natum animal venenosum,
Ipsa etiam adhibuit mammillam in somnio.
ORE. Et quomodo? mansitne mamma ab odioso animali invulnerata?
CHO. Adeo ut cum lacte grumum sanguinis educeret.

ORE. Non utique inane est visum hoc a marito immissum.
CHO. Illa vero in somnis exclamavit territa.
Multæ autem intrarunt, extinctæ tenebris,
Lucernæ in ædes dominæ gratia:
Mittit vero postea hæc funebria libamina,
Remediun fore sperans mala ablaturum.
ORE. Sed terræ supplico huic, et busto patris,
Ut somnium hoc a me perfectum reddatur.
Judico vero id congruenter se habere.
Si enim eundem mihi locum relinquens,
Serpensque fasciis omnibus instructus fuit,
Et arripuit mammillam quæ me nutriit,
Grumo vero sanguinis miscuit charum lac;
Illa autem exterrita huic malo ingemuit,
Oportet igitur ipsam, quemadmodum enutrivit terribile hoc monstrum,
Mori morte violenta: instar draconis vero ego
Ipsam interficiam, ut somnium hoc innuit.
De his vero prodigiorum interpretem te diligo.
CHO. Ita sit. Cætera amicis edissere;
Hos unum quid ut faciant, hos ne quid faciant, jubens.
ORE. Brevis hic est sermo. Hanc quinem introire *volo:*
Hortor vero ut occultet hæc mea consilia:
Ut, qui dolo interfecerint venerandum virum,
Dolo etiam capiantur eodem laqueo
Morientes, quomodo et Loxias prius effatus est,
Rex Apollo, vates adhuc non mendax.
Hospiti enim similis, perfectum habens sagum,
Veniam cum hoc viro Pylade ad aulæ portas,
Et hospes et amicus ædium.
Utrique autem vocem emittemus Parnessidem,
Linguæ Phocensis sonum imitantes.
Nec quidem janitorum quisquam læto animo
Recipiet *nos*, domus enim ex malis insanit.
Manebimus ita, donec rem conjiciat quis
Ædes præteriens, et hæc proferat;
Quid a janua supplicem arcetis?
Ægisthus si domi præsens scit——
Si igitur transiero limen januarum aulæ,
Illumque in solio patris invenero,
Aut si, veniens postea, ad os (coram me)
Loquetur, et oculos in me conjiciat, plane scias,
Priusquam ipse dicat, Cujas est hospes? mortuum
Sistam, celeri feriens ense.
Erinnys vero, raro cæde indigens,

Immixti sanguinis ebibet tertium haustum.
Tu igitur, tu *Electra*, quæ in domo sunt pulchre serva,
Ut bene parata hæc eveniant.
Vos autem hortor linguam faventem ferre,
Silere, ubi oportebit, et opportuna loqui.
Hunc *Pyladem* cæterorum curam habere volo,
Gladii certamina prospera mihi reddentem.

STROPHE 1.

Multos quidem terra nutrit
Terribiles terrorum angores
Marinæque ulnæ animalium
Inimicorum mortalibus
Plenæ sunt, emicant etiam mediæ *inter cœlum et*
Terram fulgura sublimia,
Volucresque, et pedestria *animalia*,
Et ventosarum
Procellarum iram considera.

ANTISTROPHE 1.

Sed audacissmam viri
Mentem quis enarret?
Et mulierum animis audacium,
Et in omnia audaces
Amores mortalium calamitatibus contubernales,
Conjugalesque cohabitationes?
Mulieribus imperans
Amor infaustus vincit
Et bestias et homines.

STROPHE 2.

Sciat quisquis non levibus
Curis edoctus est,
Qualem liberorum perditrix
Misera Thestii filia excogitavit
Comburendo quandam astutiam,
Exurens filii *sui* cruentum
Torrem æquævum, ex quo veniens
A matre clamaverat,
Et ejusdem mensuræ in diem
A fato decretum per totam vitam.

ANTISTROPHE 2.

Oportet aliam quandam vulgo jactatam odisse

Sanguinolentam Scyllam,
Quæ hostibus patriam obsidentibus
Virum charum perdidit, Creticis
Aureis monilibus
Persuasa, donis Minois;
Nisum immortali capillo
Spolians inconsulte
Spirantem in somno blando,
Invenit vero ipsum Mercurius.

STROPHE 3.

Quoniam autem recordati sumus gravium
Laborum, *reminiscamur*, inopportune vero, infelices
Nuptias, ædibus abominandas,
Fœmineaque animi consilia
Contra maritum bellicosum,
Contrà maritum, etiam hostibus formidandum decus:
Colens etiam ædium focum non calefactum,
Mulieris gladium immania facinora ausum.

ANTISTROPHE 3.

Malorum maxime verbis celebratur Lemnium;
Verum nimirum lugetur abominandum:
Comparet autem quis
[Clytæmnestræ] grave malum malis Lemniis.
Calamitate autem diis exosa
Mortalium genus inhonorum periit.
Colit enim nemo quod Diis invisum est.
Quid horum non recte colligo?

STROPHE 4.

Prope vero per pulmones gladius
Acutus (amarus) Justitiæ ex adverso
Transit.
Quod enim justum non est, campum (viam)
Esse non pede tritum.
Omnem Jovis
Majestatem transgressi sunt illicite,

ANTISTROPHE 4.

Justitiæ radix firmatur.
Ferrum tundit Fatum gladios fabricans:
Infert ædibus

Filium
Sanguinum antiquiorum.
Luit pœnam facinoris
Tandem inclyta profundæ mentis Erinnys.

ORE. Puer, puer, audi sonum portarum aulæ.
Quis intus? o puer; iterum quis, o puer, in domo?
Hac tertia vice famulum domorum voco,
Utrum hospitibus comis est Ægisthus.
FAM. Recte, audio. cujus es hospes? unde?
ORE. Annuncia dominis ædium,
Ad quos venio, et novos fero rumores.
At festina, quoniam noctis currus properat
Tenebricosus, jam tempus vero ut viatores demittant
Anchoram in ædibus hospites excipientibus.
Exeat aliquæ ædium præfecta
Mulier, loci domina. Virum autem *exire* est magis decorum.
Pudor enim, in dictis obscura
Verba non addit: audacter vir alloquitur
Virum, et observat manifestum signum.
CHO. Hospites, dicatis si qua re opus est; adsunt enim
Qualia has ædes decent,
Et calida lavacra, et laborum oblectamenta,
Lectus, justorumque oculorum præsentia.
Si quid aliud vero agere oportet quod consilium requirit,
Virorum hoc est opus, quibus communicabimus.
ORE. Hospes quidem Dauliensis sum e Phocensibus:
Proficiscentem proprium sagum gestantem
Ad Argos, cum divertissem,
Ignotus ignoto mihi dixit vir obviam factus,
Quærens a me quo tenderem, et indicans viam,
Strophius Phocensis: hoc enim in confabulatione didici:
Siquidem alia de causa, o hospes, ad Argos proficisceris,
Parentibus, omnino recordatus,
Mortuum Orestem narra, ne obliviscare:
Sive igitur ea opinio amicorum vincet, ut revehatur,
Seu ut inquilina, in æternum hospes,
Sepeliatur, eorum mandata transmitte.
Nunc enim latera urnæ aheneæ
Cinerem operiunt viri merito deplorati.
Hæc sicut audivi, enarravi. Utrum vero
Dominos et affines alloquor,
Nescio; attamen parentem nosse oportuit.
ELE. Hei mihi! hic funditus periimus.

O ineluctabilis harum ædium imprecatio
Ut multa inspicis, etiam a longe res bene positas
Arcubus bene-collimantibus e longinquo feriens,
Amicis me miserrimam denudas,
Et nunc Orestes, bene enim sibi consuluerat,
Extra limen lethale pedem ferens,
Spem quæ in ædibus furoris pulchri
Medicus fuit, præsentem, in quæstionem adducit. [refert.]
ORE. Ego quidem hospitibus adeo beatis
Bonorum causa negotiorum volui
Innotescere, et hospitio excipi. Quid enim
Hospite hospitibus est benignius?
Impium hoc mihi reputabatur in animo
Tale negotium amicis non peragere,
Promittentem et hospitio exceptum.
CHO. Non consequeris quicquam minus te dignum,
Neque minus fueris domui charus.
Alius similiter venisset idem narraturus.
Sed jam tempus est, ut hospites diurno labore
Confecti longi itineris, fruantur rebus commodis.
Duc ipsum in ædium cubicula virilia ad hospites
Accipiendos apta, (hospitales,) pedissequas (reversos) etiam hosce, et itineris comites;
Ibique consequantur quæ in ædibus commoda sunt.
Consulo tibi hæc agere tanquam rationem mihi reddes.
Nos autem isthæc ædium dominis
Communicabimusque, et amicis non destituti
Consilium super hac calamitate capiemus.

CHO. Siet, charæ famulæ ædium,
Aliquando oris
Robur ostendemus pro Oreste.
O terra veneranda, et venerandus collis
Sepulchri, qui nunc super navium rectorem
Corpus regium jaces
Nunc audi, nunc opem fer.
Nunc tempus instat, quo suada fallax
Descendat et terrestris Mercurius
Et nocturnus in hisce dirigat
Certaminibus gladiatoriis.

FAM. Videtur hic hospes malum attulisse *ædibus*,
Hanc vero Nutricem Orestis flentem video.
Quo calcas, Gilissa, ædium fores?
Dolor qui te comitatur sine mercede est.

NUT. Domina ad hospites Ægisthum vocare
Quam citissime jussit, ut apertius
Vir a viro hunc nuper allatum rumorem,
Adveniens audiat. Coram famulis quidem
Posuit risum sub tristibus oculis
Occultans ob rem peractam. Bene
Illi, ædibus vero hisce infælicissime accidit,
Ob hanc famam quam clare nunciarunt hospites.
Certe ille audiens animo lætabitur:
Cum interroget de historia. O miseram me!
Quam mihi antiqui permixti
Dolores non ferendi in his Atrei ædibus
Accidentes, mentem mihi in pectore mœstam reddiderunt!
Nunquam tamen adhuc talem calamitatem sustinui;
Cætera enim mala patienter exhausi:
Verum charum Orestem, meæ animæ exercitationem,
Quem a matre excipiens enutrivi
* * * * *
Et e sublatæ vocis alloquiis quæ per cubiculum nocte vagans dixi,
Multa et fastidiosa, inutilia mihi quæ sustinui.
Quod enim non sapit, tanquam brutum pecus,
Educare necesse, quomodo enim non? tuopte rationis usu;
Non enim fatur puer adhuc in fasciis,
Seu fames, sive sitis, aut humectatio ex urina
Urgeat, tenera vero alvus infantium sibi ipsi sufficit.
Hæc omnia prædicens, sæpe vero existimo
Decepta pueri fascias nitidas reddidi,
Lotrix nutrixque eodem functæ sunt officio.
Ego vero duplex hoc officium
Curans, Orestem excepi ad *enutriendum* patri.
Verum nunc mortuum esse audio misera.
Vado autem ad virum, harum perniciem
Ædium, qui lubenter hos sermones audiet.
CLY. Quomodo igitur jubet eum venire instructum?
NUT. Quomodo? dic rursus, ut certius sciam.
CLY. Utrum cum satellitibus, aut solum?
NUT. Adducere jubet hastatos asseclas.
CLY. Tu ne hæc indices huic a domino inviso:
Sed ipsum venire, ut absque timore audiat,
Quam citissime jube læto animo.
Nuncio enim læto clam animo erigatur.
NUT. Num bene velle videris modo nunciatis?
CHO. Sed, si Jupiter aliquando mutationem malorum dederit.
NUT. Et quo pacto? Orestes, spes domus, periit.

CHO. Nondum: hæc falsus vates resciscat.
NUT. Quid dicis? numquid nosti quid præter jam dicta?
CHO. Ito, nuncia, fac tibi imperata.
Diis curæ sint ea quorum curam suscipiunt.
NUT. Vado, tuisque obaudiam verbis.
Verum eveniat optime, Deorum munere.

STROPHE.

CHO. Nunc supplicanti mihi, Jupiter
Pater Deorum cœlestium,
Concede sortem faustam, ut consequar, convenienter
Modestis recte postulantibus, videre *te*
Dijudicantem rem totam.
Dixi, o Jupiter: tu autem eum *Orestem* serves,
Eheu! eheu! ante inimicos vero
Intra interiora cubicula eum colloces, ô Jupiter.
Quoniam si eum erexeris
Dupliciter et tripliciter
Lubens tibi retribuet.

ANTISTROPHE.

Respice amici viri pullum orbum
Junctum currui
Damnorum, ejusque cursui pone
Modum. Quis moderationem servatam
Hoc videre solum
Finitorum malorum desiderium?
Quique interiorum ædium
Divitem recessum administratis,
Audite, benevoli Dii.
Agite, olim occisorum
Expiate sanguinem recenti vindicta.

Vetus cædes non amplius in ædibus pariat,
His duobus feliciter interfectis.
O qui magnum habitas speluncam, prospere
Concedas *Oresti* iterum aspicere domum viri
Agamemnonis, et libere
Et splendide videre charis
Oculis obscuras
Latebras. [ædes hujusce calamitate obnubilatas.] opituletur vero juste
Filius Maiæ faventissimus
Factum prosperum concedens.

Multa etiam alia (Apollo) revelabit vaticinans
Occulta. Captu autem difficile [nondum impletum] oraculum edens
Noctem et tenebras ante oculos præfert,
Die autem exorto etiam nihil manifestius.
Et tunc quidem divitias
Idoneas ad expiandam domum
Muliebres faustos
Simulque citharæ sono
Perstrepentes cantus dimittemus
Urbi. Quæ autem feliciter eveniunt,
Meum, meum hoc crescet lucrum:
Et calamitas abest ab amicis.
Tu autem confidens, cum advenerit
Pars operis,
Exaudiens in facinore patris causa suscepto
Clamantem ad te, fili, patris vocem, [ne eum inultum sinas]
Et finem impone calamitati huic abominandæ,
Perseique in animo
Cor retinens
Iis autem et qui sub terra sunt benevoli,
Et qui superius, reddens
Triste beneficium iræ vindicis,
Introferentem cruentæ cædis calamitatem,
Authorem vero necis interimens.

ÆG. Venio quidem non invocatus, sed a nuncio vocatus,
Novum rumorem vero audio quosdam
Hospites adventantes ferre, minime optandum,
Mortem Orestis. Hoc spargere in ædibus,
Fiet dolor timorem stillans ad cædem pristinam
Adhuc exulceratum et doloribus mordens
Quomodo hæc vera et clara existimem?
An potius mulieribus ex timore concepti rumores
Hi sublimes exsiliunt, [volitant,] morituri absque effectu?
Quid ex his potes eloqui ut manifestes animo?
NUT. Audivimus quidem, tu autem hospites interroga
Intus profectus: non enim adeo valent nuncii,
Ac si dominus ipse de his interroget.
ÆG. Videre et inquirere volo ex nuncio,
Utrum ipse morienti prope astitit,
Aut ab obscura fama edoctus refert.
Nequaquam certe meam mentem decipiet oculatam.

CHO. Jupiter, Jupiter, quid dicam, unde incipiam

Hæc orans et perturbato animo exclamans?
Ob benevolentiam vero
Quomodo justa loquens finiam?
Nunc enim futuræ sunt pollutæ
Acies securium homines-domantium,
Aut omnino afferre Agamemnoniæ
Domui interitum in perpetuum,
Aut ignem et lucem in libertatem
Ab hostibus partam, magistratusque populum regentes.
Habebit patrum amplas divitias.
Talem pugnam solus adversarius
Cum duobus futurus est divus Orestes
Edere. Sit vero in victoriam.

ÆG. Hei! hei! otototoi!
CHO. Age, age potius;
Quomodo habet? quem exitum habuit in ædibus?
Procul hinc stemus, re jam absoluta,
Ut videamur horum insontes malorum
Esse: pugnæ enim constitutus est terminus.
FAM. Hei mihi valde! hei mihi domino interempto!
Hei mihi etiam iterum tertio alloquio!
Ægisthus non est amplius. Verum aperite
Quam citissime, et muliebres fores
Vectibus laxate: etiam valde robusto opus est,
Non ut opem ferat interfecto: ut quid enim?
Heu! heu! surdis vociferor, et dormientibus frustra
Irrita loquor. Ubi est Clytæmnestra? quid facit?
Videtur enim ipsius cervix prope sub novaculæ acie
Cadere, jure percussæ.

CLY. Quid rei est? Quem clamorem excitas in ædibus!
Vivum hominem a mortuis occisum esse aio.
CLY. Hei mihi! Intellexi dictum, etiam ex ænigmate.
Dolo interficimur quemadmodum interfecimus.
Det aliquis securim homines-perdentem citissime
Sciamus utrum vincimus, aut vincimur.
Ad hoc enim malum processi.

ORE. Et te quæro. ille quod satis est habet.
CLY. Hei mihi! cecidisti, dilectissime Ægisthe.
ORE. Virum diligis? in eodem igitur sepulchro
Jacebis. Mortuum non unquam prodes.
CLY. Inhibe *manum*, o fili, hanc vero reverere, fili,
Mammam, ad quam sæpius dormituriens simul

Gingivis emulxisti nutritivum lac.
ORE. Pylade, quid faciam? matrem interficere timebo?
PYL. Quorsum abirent Apollinis oracula
Delphis edita, et fida juramenta?
Omnes prius hostes quam Deos existimes. [Omnium potius inimicitias tibi suscipiendas crede quam Deorum.]
ORE. Judico te vicisse, et admones me recte.
Sequere: juxta hunc ipsum interficere te volo,
Hunc enim, dum viveret, prætulisti patri:
Moriens huic condormi, quoniam diligis
Virum hunc, eum autem quem oportuit dilexisse, odisti.
CLY. Ego nutrivi te; nunc autem senescere velim.
ORE. Quæ patrem interfecisti, una mecum habitabis?
CLY. Fatum horum, o fili, author est.
ORE. Et hanc igitur fatum paravit mortem.
CLY. Nihilne vereris maternas diras, fili?
ORE. Eadem, enim quæ peperisti me, projecisti in infortunium.
CLY. Nequaquam ejeci ad ædes amicas——
ORE. Dupliciter venditus sum, libero patre natus.
CLY. Ubi tandem pretium quod vicissim accepi?
ORE. Pudet hoc tibi aperte exprobrare.
CLY. Ne pudeat, sed dic similiter et patris tui malas errores.
ORE. Ne incuses laborantem intus sedens.
CLY. Grave est mulieribus a viro arceri, fili.
ORE. Nutrit autem viri labor sedentes intus.
CLY. Interfecturus videris, o fili, matrem.
ORE. Tu teipsam, non ego, interficies.
CLY. Vide sis, cave matris iratas canes.
ORE. Patris vero quomodo effugiam, negligens hæc?
CLY. Videor lamentari viva ad sepulchrum frustra.
ORE. Patris enim fatum hanc tibi decernit mortem.
CLY. Hei mihi quæ pariens hunc serpentem enutrivi!
Revera vates fuit iste in somnis timor.
ORE. Interfecisti quem non oportuit, patere ergo quæ non oportuit.
CHO. Lugeamus igitur etiam horum calamitatem duplicem.
At quoniam multas cædes exsuperavit
Miser Orestes, hoc lætæ accipimus,
Ut oculus domus non omnino extinctus cadat.

STROPHE.

Tandem quidem advenit vindicta Priamidis,
Gravis pœna.

Venit autem in domum Agamemnonis
Duplex leo, duplex Mars.
Et declarat totum
Oraculo admonitus exul,
Divinis consiliis excitatus.
Maxima voce gratuletur sibi herilium domorum,
Refugium malorum et possessionum attritionis,
Sub duorum inquinatorum
Infelici fortuna.

ANTISTROPHE.

Advenit vero illi cui curæ fuit occultæ pugnæ
Dolosa pœna.
Tetigit vero pugnam manu nunquam fallente confidens
Jovis filia; Justitiam autem eam
Appellamus,
Mortales verum nomen assecuti;
Exitialem spirans adversus hostes iram.
Qua Loxias Parnassius,
Magnum inhabitans recessum in terræ colle,
Inhospitalem, sine fraude dolosam,
Tandem læsam,
Persequitur.

Firmiter inhæret Deus non
Opitulari malis.
Par est cœleste imperium revereri.
Adest tempus lucem videndi, sed spoliatus sum
A magno sole ædium.
Reduc tamen (eum ô deus) in ædes nostras, inde enim
A longo tempore semper humi prostratus jacuit;
Fortasse perfectus (Sol s. Orestes ab omni labe purus) redibit
Ad vestibula ædium, quando a domo
Scelus omne expulerit purgamentis
Calamitatum expiantibus. Fortunæ autem
Fausto tali jactu
Omnia (mala) vidisse et audisse querentibus
Ædium incolis
Aliquando feliciores cadent. Adest tempus lucem videndi.

ORE. Videte regionis duplicem tyrannidem,
Patris *mei* interfectores, ædium eversores.
Venerandi quidem erant, in thronis tunc sedentes,

Amantesque etiam nunc, ut conjicere affectus
Licet, et manet juramentum probationibus.
Una jurarunt nefarie in mortem patris, unaque
Mori: evenere etiam hæc secundum juramentum.
Videte denuo, horum auditores malorum,
Artificium, vinculum misero patri,
Compedesque manuum et pedum pares.
Extendite, et circulo virorum in propinquo adstantium
Integumentum hoc ostendite, ut videat pater,
Non meus, sed qui omnia hæc inspectat
Sol, impia matris meæ opera.
Ut aliquando adsit mihi testis in judicio,
Quod justo perpetravi hanc necem
Matris, Ægisthi enim non memoro necem;
Habet enim adulteri, ut par est, pœnam:
Quæ in virum hoc concepit odium,
A quo liberorum onus sub zona sustinuit,
Dilectum pridem, nunc vero hostile, ut apparet, malum.
[liberorum onus.]
Quid tibi videtur? myræna seu vipera fuit,
Quæ tactu alium putrefacit non morsum,
Propter immane ausum et impium commentum.
Quibus nominibus illud commentum compellem, quamvis disertus forem?
Rete feræ, aut mortui pedibus involutum
Loculi tegumentum; rete igitur est.
Reticulum appelles, et ad ligandos pedes vestes.
Talem possideat vir furax,
Hospites fallens, et furacem
Vitam agens: hoc dolo
Multos interficiens multum æstuet in animo.
Talis mihi uxor in domo
Ne sit: moriar potius Deorum arbitrio sine liberis.

CLY. Hei, hei, tristia opera!
Horrenda morte interemptus es.
Hei, hei! manenti dolor augescit.

Fecit, aut non fecit: testis autem mihi est
Vestis hæc, quam tinxit Ægisthi ensis.
Cædis vero tinctura post tempus diutinum conjicitur
Varios colores vestis corrumpens.
Nunc ipsum laudo; nunc defleo astans,
Et parricidam vestem hanc alloquens.
Lugeo quidem opera, et effectum, et totum genus,

Non-expetenda habens hujus victoriæ inquinamenta.

Nemo hominum vitam innocuam
Turpis omnino transiget.
Ad laborem autem hic statim ille vero *tandem* veniet.

ORE. Viderit alius, ego novi quo res recidet,
Me enim, ut aurigam extra cursum ab equis ductum,
Ferunt victum
Animi contumaces. In animo vero est timor
Et cantare paratus, et subsilire ira.
Modo autem dum mentis compos sum, prædico
Amicis, et dico me interfecisse matrem non injuria,
Parricidam scelestam, et eorum odium.
Et incitamentum hujus audaciæ jacto
Pythium vatem Apollinem esse, qui oraculo edidit mihi
Hæc agenti extra malum crimen fore,
Recusanti vero non memorabo qualem pœnam.
Conjectura enim nemo earum attrocitatem assequatur.
Et nunc aspicite me, quomodo instructus
Hoc oleæ ramo et corona adibo
Apollinis solium, et in umbilico orbis positum fanum,
Et ignis lucem dictam immortalem;
Ad fugiendum hunc sanguinem communem: neque
Ad domum aliam divertere Apollo permisit.
Hoc tempore dico, omnes Argivi mihi
Ut testes sint, quomodo mala data sunt.
Ego vero errabundus, ab hac terra exul,
Vivus mortuusque, hanc famam linquens,
Sed cum bene fecerim, neque claudatur os (obmutescam)
Malis rumoribus, neque ipse mihi mala vaticinabor,
Liberans totam Argivam urbem,
Duorum draconum facile abscindens caput.
Ah! Ah! famulæ mulieres, hæ Gorgonum similes
Pullatæ, et implicatæ
Plurimis serpentibus. Non diutius manebo ego.
CLY. Quæ te phantasiæ, hominum charissime patri,
Exagitant? Siste: ne timeas valde vincens.
ORE. Non sunt mihi phantasiæ horum malorum.
Certo enim hæ sunt matris iratæ canes.
CLY. Recens sanguis adhuc in manibus est,
Hinc perturbatio tibi in animum cadit.
ORE. Rex Apollo, hæ augentur quidem numero,
Et ex oculis distillant sanguinem odiosum.
CLY. Intus purgatio est. Apollinem cum attigeris,

Liberum te ab his malis faciet.
ORE. Vos quidem has non videtis, ego autem video,
Exagitor vero, et diutius non manebo.
CLY. Verum fortunatus sis, et qui te inspectat Deus
Libens custodiat in periculosis calamitatibus.

Hæc quidem ædibus Regiis
Tertia tempestas
Spirante vento procelloso adfecta est.
Primum quidem liberis mortem inferentes
Dolores miserique Thyestæ.
Secundo viri Regia cædes:
In latrina vero cæsus periit Achivorum
Imperator.
Nunc vero tertius alicunde advenit sospitator:
Aut fatum dicam?
Ubi finiet, ubi desinet,
Recumbens vindictæ robur?

EUMENIDES.

DRAMATIS PERSONÆ.

PYTHIA VATES.
APOLLO.
ORESTES.
CLYTEMNESTRÆ IDOLUM.
CHORUS EUMENIDUM.
MINERVA.
PRÆVII DEDUCTORES.

Prologum agit vates.

EUMENIDES.

PYTHIAS.

EQUIDEM primum precibus hisce veneror
Deorum primam vatem, Terram: post hanc vero Themin,
Hæc nimirum a matre secunda huic
Insedit oraculo, ut fertur. In tertia autem
Sorte, volente ea, nec invito quoquam,
Titanis, alia Terræ filia, sedit
Phœbe, hæc vero dedit natale donum
Phœbo, et nomen habet a Phœbe denominatum.
Linquens autem lacum, et Deliam petram,
Appellens ad littora Palladis naves excipientia,
Ad hanc terram accessit, et Parnessi sedem.
In pompa vero deducunt eum, et plurimum colunt
Vias exscindentes filii Vulcani, terram
Horridam reddentes frugiferam.
Advenientem vero eum valde honorat populus,
Delphusque rex regionis hujusce gubernator.
Postquam Jupiter autem animum ejus divina arte implevit
Hunc quartum statuit vatem in solio,
Jovisque patris propheta est Loxias.
Hos precibus initio invoco Deos:
Pollas autem Pronæa in sermone celebratur.
Veneror etiam Nymphas, ubi Corycia petra
Cava, avium amans, [ab avibus frequentata] Dæmonum habitaculum.
Bacchus vero locum possidet, neque oblita sum,
Ex quo Bacchis in prælio dux fuit Deus,
Instar leporis Penthei mortem inferens:
Plistique fontes, et Neptuni robur
Invocans, et perfectum altissimum Jovem.
Deinde vates in solio sedeo:
Et nunc quidem ut consequar feliciorem prioribus introitum
Quam auspicatissime concedant, et si qui a Græcis
Adsunt, eant sorte sortientes, ut moris est.

Vaticinor enim, quemadmodum dirigit Deus.——
Atrocia profecto dicere, atrocia etiam oculis cernere,
Iterum me misit ex ædibus Loxiæ,
Ut nec viribus valeam, nec pedes promovere possum:
Manibus autem curro, non crurum velocitate:
Tremebunda enim anus, nihil, puero similis,
Ego quidem serpo ad recessum multis coronis redimitum:
Video autem virum in umbilico Diis invisum
Sedentem, supplicem, a cujus manibus
Stillat sanguis, recens evaginatum gladium
Tenentem, et olivæ prælongum ramum
Lana prægrandi prudenter coronatum,
Albo villo. hic enim aperte eloquar.
Coram vero hocce viro admiranda cohors
Mulierum in soliis sedens dormit:
Non mulieres, verum Gorgonas dico.
Sed neque Gorgonum formis assimilabo:
Vidi enim illas pictas Phineos
Cœnam auferentes: hæ quidem sine pennis
Apparent, nigræ omnino abominandæ:
Stertunt autem halitu, cui periculosum est appropinquare,
Ex oculis quoque distillant exosam vim:
Ornatusque talis, qualis neque recte ad Deorum
Imagines, aut in ædes hominum inferatur.
Gentem hujusce cætus nunquam vidi,
Nec terra aliqua glorietur hoc genus
Nutrire sine damno, non ingemiscere ob labores.
Abhinc jam harum ædium domino
Ipsi Loxiæ præpotenti curæ sit.
Medico-vates est et portentorum interpres,
Aliisque ædium expiator.

APO. Non te prodam: usque ad finem vero tibi custos
Prope astans, longe quoque absens,
Inimicis tuis non fiam mitis.
Et nunc quidem protervas hasce vides
Somno captas: cadent abominandæ virgines,
Anus, filiæ vetulæ, quibuscum haud commiscetur
Deorum quisquam, hominumve, aut ferarum:
Malorum vero causa fuere: unde et malas
Tenebras incolunt, Tartarumque subtus terra,
Odia hominum Deorumque cœlestium.
Nihilominus fuge, neque animo succumbe
Exagitabunt enim te per continentem longam
Sine tædio errantem per terram vagis cursibus peragratam
Perque mare, et urbes circumfluas.

Ne ante fatigeris huncce demulcens
Laborem: accedens vero ad urbem Palladis
Sedeto, antiquum ulnis amplexus simulacrum:
Ibique horum judices delinientesque
Sermones habentes, artificium inveniemus,
Ut in æternum ab his liber evadas laboribus.
Ego enim persuasi te ut maternum corpus interficeres.
ORE. Rex Apollo, tenes propositum injuriam mihi haud faciendi:
Et quoniam hoc in animum induxisti, cura ne me negligas.
Robur tuum ad faciendum sat idoneum est.
APO. Memineris, nec timor opprimat mentem tuam.
Tu vero, o Mercuri, fraternus sanguis et ab eodem
Patre, serva eum: merito nomen obtinens,
Deductor esto, hunc meum regens
Supplicem. Veneratur Jupiter hanc venerationem legibus concessam
Provenientem mortalibus auspicata fortuna.
CU. Dormitisne? ohe, et quid opus est dormientibus?
Ego vero a vobis hic neglectui habita sum
Inter cæteros mortuos, quod interfeci *Agamemnonem*
Probrum in mortuis non deficit,
Erro etiam turpiter: vobisque dico quod
Maxime incusor ab hisce.
Passa adeo atrocia ab amicissimis,
Deorum nemo mei gratia irascitur,
Interemptæ a manibus matricidis.
Contemplare vulnera cordis mei.
Mens enim sopita visu perspicacior est:
Interdiu vero mortalium fatum non percipitur.
Multas profecto mearum liguriistis
Inferias absque vino fusas, sobria placamenta,
Et noctu venerandas cœnas ad focum ignis
Mactavi, tempore nemini Deorum communi.
Et hæc omnia cerno pedibus calcata. [neglecta et contempta]
Hic vero exultans aufugit, hinnuli instar,
Et leviter e mediis retibus
Exsiliit, vobis irridens admodum.
Audistis quæ dixi de anima mea;
Sapite, o sub terra Deæ:
Ego Clytæmnestra quæ sum somnium vos nunc voco.
(CH. Ronchus.)
CLY. Stertatis, vir autem aufugit procul.

[Dii] enim amici ejus supplicis, mihi haud sunt amici.
(CH. Ronchus.)
CLY. Valde somno capta es, nec deploras dolorem nostrum:
Orestes vero, hujusce matris suæ interfector abiit.
(CH. Stertor.)
CLY. Clamas, dormis, non exsurges statim?
Quod unquam a te factum præterquam malum?
(CH. Stertor.)
CLY. Somnus laborque proprii conjuratores
Diræ dracænæ robur abstulerunt.
(CH. Ronchus duplex, acutus)
Cape, cape, cape, cape, dic.
CLY. In somnio persequeris feram, clangis autem veluti
Canis curam laboris haud intermittens.
Quid facis? exsurge, neque te vincat labor,
Neque ignores damnum somno facta ignava.
Doleas animo ob probra justa:
Prudentibus enim instar stimulorum sunt.
Et sanguineum tuum halitum afflans illi,
Spirituque, ventris æstu eum labefaciens,
Persequere, macera eum secunda consectatione.
CHO. Excita, excita, et tu hanc, et ego te.
Dormisne? exsurge, et excute somnum.
Videamus siquid hujus prooemii frustraneum sit.

STROPHE 1.

Hei! hei! popax! injuriam passæ sumus, amicæ:
Multa quidem passa sum, et frustra, ego.
Passæ sumus injuriam gravissimam, papæ!
Malum non ferendum.
Eretibus excidit, aufugit præda.
Somno capta prædam perdidi.

ANTISTROPHE 1.

Eheu, Jovis fili, furax es.
Juvenis autem vetulas Deas astutia devicisti, [proculcasti]
Supplicem venerans et in Deos impium
Et in parentes crudelem:
Matricidam furtim abstulisti Deus cum sis.
Quid horum recte fieri quis dicet?

STROPHE 2.

Mihi autem probrum e somno veniens,

Percussit instar aurigæ
Stimulo medium corpus feriente
Sub præcordia, sub jecur,
Flagellatoris,
Inimici tortoris
Gravi valde gravi horrore percellar.

ANTISTROPHE 2.

Talia perpetrant juniores Dii
Imperio potiti præter jus,
Sanguine stillantem thronum
A capite ad pedes
Licet terræ umbilicum
Videre, cædis
Terribili piaculo, quod ipse suscepit, pollutum.

STROPHE 3.

Domestico vero, vates, tuo inquinamento
Recessum contaminasti, ipse
Tuopte quidem ductu, et tuapte sponte,
Injustorum quidem Deorum simulacra honorans,
Ab antiquo vero genita fata perdens.

ANTISTROPHE.

In me quoque sævus, sed hunc non solvetur
Sub terra fugiens,
Nunquam liberabitur.
Cædis autem reus cum sit, alium in capite illius
Contaminatorem possidebit.

APO. Statim, jubeo, his ædibus
Excedite, discedite a recessibus fatidicis;
Ne accepto alato albo serpente, (sagitta,)
Ab aureo nervo cum impetu prorumpente
Præ dolore emittas nigram, ex hominibus, spumam,
Evomens grumos quos e cæde hausisti.
Ædibus hisce accedere non convenit:
Verum ubi capita abscindentes, oculos effodientes
Exercentur vindictæ, cædesque, seminisque liberorum
Abortus, testium exsectio, et partium extremarum
Amputatio lapidatioque; ubi mussitant ejulatum
Multum sub spina defixi: age, auditis
Qualis convivii, Diis abominandæ,

Desiderium habetis. Eoque ducit universa species
Oris vestri. Antrum leonis sanguinem sorbentis
Inhabitare tales par est, non autem in vicina
Hujus oraculi sede deversari inquinamenta.
Excedite absque pastore pascentes: [errantes]
Talem enim gregem Dii omnes aversantur.
EUM. Rex Apollo, ausculta mihi vicissim.
Tu ipse horum non particeps es,
Verum unus, unicus totius rei author es.
APO. Quomodo? tam longe sermonem extende.
EUM. Oraculo jussisti ut hospes matrem interficeret.
Oraculo jussi pœnas patris affligere. Quid tum?
EUM. Deinde pollicitus es te esse novæ cædis defensor.
APO. Etiam jussi ad has domos reverti.
EUM. Et deductrices hasce probris insectaris.
APO. Non enim his ædibus accedere par est.
EUM. Verum hoc nobis mandatum est.
APO. Quis hic honor, jacta præmium *hoc* amplum.
EUM. Matricidas ex ædibus arcemus
APO. Quid enim? mulieris cædes, quæ maritum
Interfecit, non habeatur pro cæde mutua consanguinea.
Tum sane nullo in honore haberentur, nihilque valerent
Junonis jugalis et Jovis fœdera.
Venus etiam inhonora hoc sermone abjicitur,
Unde mortalibus adveniunt deliciæ charissimæ.
Torus enim viro et uxori sacer esse debet,
Et ipso jurejurando sanctius colendus.
Tu igitur si sese invicem interficientibus adeo indulges,
Ita ut nihil propterea labores, nec irata (cædis auctorem)
respicias,
Dico te injuste Orestem persequi.
Alterum enim [Orestis facinus] video te ægerrime tulisse,
Alterum vero [Clytæmnestræ] manifesto remissius tractare.
At causam hanc Minerva Dea judicabit.
EUM. Virum istum non relinquam unquam.
APO. Tu igitur persequere, et plus laboris insume.
EUM. Honores meos ne tu extenues verbis.
APO. Nolo sustinere ut a te honores reciperem.
EUM. Magnus enim diceris apud solium Jovis.
Ego vero, trahit enim secum maternus sanguis vindictam,
Hunc virum persequor, et instar venatricis sequor.
APO. At ego opitulabor, et supplicem liberabo:
Atrox enim inter homines et Deos
Est ira supplicis, si volens eum prodidero.

ORE. Regina Minerva, Apollinis jussu
Advenio, propitie vero suscipe me cædis reum,
Non vero piaculo pollutum, neque impurum manu,
Sed jam obtusum, et probe exercitatum
Aliis in ædibus et profectionibus mortalium. [salutationibus hominum, quos purificationis causa adii.]
Similiter terram et mare pertransiens,
Observans Apollinis jussa oraculo data,
Accedo domum et simulacrum tuum, o Dea.
Hic morabor, expectans causæ finem.
CLY. Sit ita. hoc viri est manifestum signum.
Sequere consilia indicis vocem non edentis.
Sicut enim canis vulneratum hinnulum,
Ex sanguinis guttis indagamus.
Multis autem laboribus gravissimis anhelant
Viscera: terræ enim omnis peragratus est locus,
Et supra mare sine alis volans
Huc persecuta veni, non tardior nave.
Et hic nunc hic resedit.
Odor humani sanguinis arridet mihi.

Vide, vide iterum,
Observate omnia.
Ne aufugiat
Matricida impunis.

STROPHE.

Hic rursus robur habens, simulacrum
Amplexus Deæ immortalis,
Judicio se sistere volet ob manuum facinus.

ANTISTROPHE.

Hoc autem fieri non queat: maternus sanguis humi est,
Non revocandus, papæ!
Liquidus terra fusus periit.

Verum vicissim oportet te dare pœnas, a vivo ut sorbeam
Rubrum e membris libum, a te vero
Pastum habeam haustus non hauriendi:
Et vivum te macerans deducam deorsum.
Vicissim pœnas lues ob maternam calamitatem.
Ibi videbis quis mortalium injuria affecit alium,
Seu in Deum, sive in hospitem aliquem

Impie agens, aut in charos parentes,
Unum quemque ferentem pœnas facinori pares.
Magnus enim Pluto a mortalibus rationes cujusque facinoris exigit
Sub terra.
Omnia inspectat animo memori.

ORE. Ego, malis edoctus, novi
Multa purgamenta, et loqui cum oporteat,
Et silere similiter: hac vero in causa
Loqui constitutus sum a sapiente informatore.
Dormit enim et elanguescit manus sanguis,
Maternæ cædis piaculum eluitur.
Recens enim cum esset apud domum Dei
Phœbi, purgamentis porcellorum cæsorum ablatus est.
Longum vero mihi esset ab initio repetere
Quot homines jam sic adierim, ut nihil iis conversatio mea nocuerit.
Tempus tollit omnia senescens simul.
Et nunc quidem e puro ore fauste invoco
Reginam hujusce regionis Minervam, ut mihi
In auxilium veniat: possidebit autem sine hasta
Meque ipsum et terram et Argivum populum,
Fidum merito in perpetuum auxiliatorem.
Verum seu in locis regionis Libycæ
Circa Tritonis fluentum, rivi ubi nata est,
Rectum statuit aut coopertum pedem,
Amicis auxilium ferens, sive Phlegræam planitiem,
Ut dux fortis, inspectat,
Veniat, audit enim etiam procul existens Deus,
Ut horum averruncatrix mihi fiat.

CLY. Nec Apollo te aut Minervæ robur
Liberet, quin neglectus
Pereas, ubi animo gaudeas ignorans,
Incruentum animal dæmonum umbra.
Vicissim ne loqueris, sed exspuis sermones,
Mihi nutritusque et sacratus?
Etiam vivus me pasces, neque ad altare cæsus:
Hymnum vero audies hunc ligatorium tui.

CLY. Age autem, jungamus chorum, quoniam
Cantum exosum
Ostendere statutum est,
Simulque proferre quo ritu ordo noster
Muneris vices sibi demandatas inter homines expleat.

Recti judices cupimus fore.
Puras manus habentibus
Nulla a nobis ira adrepit,
Illæsus vitam transigit:
Ei vero qui scelerate agens, quemadmodum hic *fecit*,
Sanguineas manus occultat,
Testes veræ mortuis
Faventes, ultrices sanguinis
Certo apparemus.

STROPHE 1.

Mater quæ me peperisti, o mater
Nox, cæcis et videntibus
Pœnam, audi: Latonæ enim filius
Inhonoram me facit,
Hunc auferens
Hinnulum, maternæ cædis
Expiationem propriam.
Super mactatum vero
Hic cantus, delirium,
Insania, amentia,
Hymnus Furiarum,
Ligatorius animorum, absque lyra
Cantatus, tabefaciens mortales.

ANTISTROPHE 1.

Hanc enim sortem validum
Fatum destinavit firmiter
Manere, quibus cædium propinquorum perpetratio
Inanis contigit,
Hosce persequamur, donec
Sub terra veniat: mortuus autem
Non admodum liber est.
Super mactatum vero
Hic cantus, delirium,
Insania, amentia,
Hymnus Furiarum,
Ligatorius animorum, absque lyra
Cantatus, tabefaciens mortales.

STROPHE 2.

Natis nobis sortes
Hæ assignatæ sunt:

Ab immortalibus vero manus
Abstinere, neque quis nobis est
Conviva communis.
Candidarum vestium
Expers, exsors sum:
Domuum enim suscepi
Eversiones, quando Mars,
Mitis cum sit, amicum interfeciat;
In hunc enixe irruentes,
Quamvis validum, similiter
Perdimus ob sanguinem recentem.

ANTISTROPHE 2.

Festinamus autem auferre
Hanc curam a quoquam,
Deorum immunitatem
Meis precibus statuere,
Nec in eorum judicium venire
Jupiter enim sanguinem stillans
Abominandum hoc hominum genus sermone
Suo non dignatus est.
Opiniones vero hominum de se, etiamsi sub æthere
Venerandæ [tantum non ad sidera elatæ] consumptæ
Sub terra deficiunt inhonoræ
Nostro accessu pullato,
Saltibusque pedum sanguinolentis.

STROPHE 3.

Exsiliens enim a longe graviter cadens
Defero pedis robur,
Titubantia crura longo cursu defessis,
Non ferendum damnum.

ANTISTROPHE 3.

Cadens autem sub animi noxa hoc non intelligit:
Tales enim in virum tenebræ propter scelus advolarunt,
Et obscuras quasdam tenebras contra domum
Queruntur multiplices gemitus.

STROPHE 4.

Ira enim promptæ
Et versatiles, et malorum

Memores venerandæ,
Et a mortalibus difficulter demulcendæ sumus,
Obeuntes regna ignobilia, honore carentia
Diis separata,
Sole carentia, aspera
Vivis et mortuis simul.

ANTISTROPHE 4.

Quis igitur mortalium hæc non veneretur
Et metuat,
Meam audiens legem
A fato constitutam a Diis
Datam perfectam? superest mihi
Præmium antiquum, neque
Ignominiam consequor, quamvis sub terra
Stationem obtinens, et tenebras Solis expertes.

MIN. A longe exaudivi ego vocis clamorem,
A Scamandro terram occupans
Quam duces et primores Achivorum,
Captivæ pecuniæ sortem magnam,
Attribuerunt quicquid est in æternum mihi,
Selectum munus Theseos posteris;
Unde veni propere indefesso pede,
Absque alis vento implens [stridens] sinum ægidis,
Pullos adultos adjungens currui.
Novum vero cernens hunc terræ cætum,
Nihil quidem timeo, admiratio vero oculis inest.
Qui tandem estis? omnes autem in commune alloquor;
Hunc etiam hospitem insidentem simulacro meo,
Et vos nulli eorum qui gignuntur generi similes,
Nec inter Deas a Diis visas,
Neque mortalibus formis similes.
Deformem vero proximos conviciari
Longe a recto est, et abest Justitia.
CLY. Audies cuncta breviter, o Jovis filia.
Nos sumus Noctis æternæ (tenebrosæ) filiæ:
Diræ vero vocamur in ædibus sub terra.
MIN. Genus quidem novi, et unde nomen obtines.
EUM. Honores meos statim audies.
MIN. Intelligam si quis aperte loquatur.
EUM. Homicidas ex ædibus arcemus.
MIN. Et homicidæ ubi fugæ est terminus?

EUM. Ubi gaudere nusquam moris est.
MIN. Numquid et tale exilium huic destinas?
EUM. Matricida enim fore dignatus est.
MIN. Nullius aliæ necessitatis metuens iram?
EUM. Ubi enim tantus stimulus ac matrem interficere?
MIN. Duobus præsentibus dimidium sermonis adest.
EUM. At juramentum ejus accipiamus, si dare vult.
MIN. Malis haberi justa quam juste agere.
EUM. Quomodo? dic: verborum prudentum non indiga es.
MIN. Dico, vi juramenti iniqua haud vincere.
EUM. Verum examina, litem vero juste dirime.
MIN. Numquid penes me erit causæ finis?
EUM. Quidni? veneramur dignam dignis.
MIN. Quid ad hæc, hospes, respondere vis?
Referens vero patriam, et genus, et ærumnas
Tuas, deinde propulsa hoc vituperium.
Si modo causa fretus, simulacrum hoc
Sedes amplexus prope domum meam
Venerandus supplex, instar Ixionis;
His omnibus responde quod mihi intellectu facile sit.
ORE. Regina Minerva, primum magna te cura
Quæ quantum ex postremis verbis colligo, te habet sollicitam, liberabo.
Non sum contaminatus, neque inquinamentum
Contrahit a manu mea amplectenti simulacrum tuum.
Horum vero signum tibi proferam magnum:
Mutus ut sit cæde contaminatus, lex est,
Donec à viro sanguinis piaculo reum liberante
Mactationes lactentis pecudis cruentabunt.
Dudum in aliis ædibus hæc mactavimus, [hæc sacra perfecimus]
Et animalibus et fluentis liquidis.
Hanc curam sic longe removeo.
Meum autem genus ut se habeat, statim audies.
Argivus sum, patrem vero nosti optime,
Agamemnonem, nautarum Ducem,
Quicum tu Trojam Ilii urbem funditus
Evertisti. hic obiit inhonore, domum reversus:
Ipsum vafra mea mater
Interfecit; et reticulis doloso artificio textis
Occultans, ipsa professione sua declaravit cædem balnei opem perpetratam.
Egoque reversus, exulans antea temporis,
Interfeci matrem, neque id nego,

Pœnis vicissim lethalibus ob charissimi patris necem.
Et horum in commune Apollo auctor fuit,
Dolores prædicens stimuli instar pungentes cor,
Si horum quicquam non facerem adversus cædis auctores.
Tu, utrum juste necne, litem dirime:
Tecum enim agens omnino hæc laudabo.

MIN. Res major est quam ut mortalium quis existimet
Se posse dirimere: nec mihi quidem licet cædis
Litem celeriter vindictam provocantis determinare.
Præsertim quod tu bene paratus
Supplex venisti purus innoxius ad ædes *meas*.
Nihilo secius tamen te, si insons apparueris, urbe mea recipiam.
Hæ vero ingrato munere fungentes,
Nec consecutæ victoriam,
Retrocedant: venenum ex animis
Terra cadens, haud ferendus æternus est morbus.
Et hæc quidem ita se habent, utramque partem manere,
Utramque autem dimittere sine offensione haud licet.
Verum quandoquidem res huc pervenit,
Cædis Judices juramento obligatos seligens
Hanc legem in æternum duraturam feram.
Vos autem testimonia et argumenta
Vocate in auxilium causæ juramenta.
Secernens vero civium meorum optimos
Veniam, ad recte dirimendam hanc causam:
Juramentum transgressos nihil iniquum animis.

STROPHE 1.

CLY. Nunc pravitas novarum
Legum, si vicerit
Causa noxia
Hujusce matricidæ.
Omnes jam mortales hoc facinus
Facilitati adaptabit. *ad idem aggrediendum promptos* faciet.
Multæ certissimæque a liberis illatæ
Perpessiones manent parentibus,
In posterum.

ANTISTROPHE 1.

Neque Furiarum quæ mortales inspectant
Adrepet ira aliqua
Hisce facinoribus:

Omnem cædem [inultam] abire sinamus.
Patietur enim alius ab alio
Questus proximorum mala,
Cessationem et effugium, et sanationem
Horum malorum non firmam: infelix vero
Frustra consolabitur.

STROPHE 2.

Neque quis invocet nos
Calamitate percitus,
Hoc verbum inclamans
Eheu Justitia!
Eheu Furiarum throni!
Talem fortasse pater quis
Aut mater recens vulnerata
Ejulatum ejulet: quandoquidem
Cecidit domus Justitiæ.

ANTISTROPHE 2.

Aliquando timor
Et animorum inspector
Et animis insidens timet. [terret conscientiam.]
Saluberrimum est
Inter angores sapere discere
Quis vero nihil in luce
Cordis enutriens.
Sive urbs sive homo similiter,
Amplius veneretur Justitiam?

STROPHE 3.

Neque vitam legibus solutam,
Nec tyranno subditam
Laudes.
Medio omni robur Deus dedit,
Alia aliter inspicit.
Aptum verbum dico,
Impietatis filia est
Contumelia quam certissime:
E sanitate vero animi provenit
Omnibus chara et
Votis expetita felicitas.

ANTISTROPHE 3.

In summa vero dico,

Altare Justitiæ reverere:
Neque ipsam,
Lucrum respiciens, impia
Pedis conculcatione ignominia afficias.
Vindicta enim aderit,
Dignus manet exitus.
Quapropter unusquisque parentum
Sanctitatem revereatur
Et hospites honorantia
Ædium commercia
Revereatur. [et hospitum jura ad ædes deversantium pie colat.]

STROPHE 4.

Quocirca is qui non necessitate coactus
Justus fuerit, infelix non erit:
Funditus perire nunquam queat.
In contraria audacem legum violatorem dico,
Omnia commiscentem sine justitia
Suo tempore magna cum vi interiturum
Cum vela invaserit tempestas
Fractasque antennas.

ANTISTROPHE 4.

Invocat autem non audientes:
In mediis et invictis fluctibus (oppressus):
Tum ridet Deus hominem audacem,
Duitius non gloriantem cernens inextricabilibus
Calamitatis laqueis irretitum, e quibus expedire se nullo modo potest.
Post longum enim tempus pristina felicitate
Scopulo justitiæ allisa
Periit indefletus ignotus ab omnibus.

MIN. Promulga, præco, et multitudinem cohibe.
Penetrans * * Tyrrhena
Tuba, humano spiritu impleta,
Intentam vocem proferat multitudini.
Repleto enim hocce concilio,
Tacere præstat, et leges meas ediscere
Totam urbem in perpetuum,
Et ut horum recte dijudicetur causa.
CLY. Rex Apollo, quæ habes, dominare.
Dic quid tibi cum hac re.

APO. Testimonium ferens veni: est enim ædium
Supplex hic vir, ædium mearum domesticus,
Hujusce autem cædis expiatorius sum ego:
Simulque causam ipse ago: verum incusor
Hujusce maternæ cædis. Tu vero introduc
Ut nosti, hanc confirmans causam.
MIN. Vestrum est loqui, introduco vero causam.
Accusator primus initio loquens,
Fiat totius rei verus informator.
EUM. Multæ quidem sumus, compendio vero loquemur.
Responde autem verbum verbo vicissim adaptans.
Dic primum utrum matrem interfecisti.
ORE. Interfeci. hoc nullatenus nego.
EUM. Unum quidem hoc est trium luctationum.
ORE. Non jacenti (*devicto*) hunc jactanter profers sermonem.
EUM. Oportet ut dicas quomodo interfecisti.
ORE. Dicam. Manu gladio armata collo vulnus infligens.
EUM. A quo persuasus es? et cujus consiliis?
ORE. Hujusce oraculis. testis mihi adest.
EUM. Vatesne tibi author fuit ut matrem interficeres?
ORE. Adhuc quidem de fortuna mea non conqueror.
EUM. Verum si te corripuerit calculus, fortasse aliud dices.
ORE. Credo, sed a tumulo auxilia mittet pater.
EUM. Matrem interficiens mortuis confide.
ORE. Duorum enim inquinamentorum concursum habuit.
EUM. Quomodo? doce eos qui in his jus dicunt.
ORE. Maritum suum interficiens patrem etiam meum interfecit.
EUM. Tu quidem vivis, illa autem a cæde libera.
ORE. Quid ergo eam vivam in exilium non fugasti?
EUM. Non erat consanguinea viri quem interfecit.
ORE. Egone vero sum matris meæ consanguineus?
EUM. Nonne enim nutriit te, o homicida, intra
Zonam? abominaris charissimum maternum sanguinem?
ORE. Jam tu testimonium fer: indica
Autem mihi, Apollo, si ipsam juste interfeci.
Fecisse enim, ut res est, non negamus;
Verum utrum juste necne tuo animo
Videatur hæc cædes facta, judica, ut hisce referam.
APO. Referam vobis hanc Minervæ
Legem vere, vates cum sim non mentiar.
Nunquam dixi quid fatidicis in sedibus
De viro, muliere, aut urbe,
Quod Jupiter cœlestium pater non præcepit.
Hoc quidem jus quantum valeas edisce.

Vobis autem præcipio patris consilio obsequi.
Juramentum enim non est Jove potentius.
CLY. Jupiter, ut tu ais, hoc oraculum protulit,
Ut diceres Oresti huic, quod patris necem
Ulciscens matri nullum honorem haberet?
APO. Non enim idem est, [mulierem occidi] et virum illustrem mori,
A Jove concessis sceptris nobilitatum,
Idque a muliere, non validis
Arcubus longe-jaculantibus, tanquam Amazonis.
Verum, ut audies, Minerva, vosque qui sedetis
Ad hanc litem calculo dirimendam,
Eum enim ab expeditione bellica lucrifacientem
Pleraque meliora benevolis recipiens
Lavacrum ei, balneum paranti, in fine [lavationis]
Pallium præbuit, et exitum non habente
Artificioso indumento virum illigans percussit.
Hoc viri fatum vobis relatum est,
Venerandi viri, navarchæ.
Hanc talem retuli, ut mordeatur (ad indignationem moveatur) populus,
Qui constitutus est ad decernendam hanc causam.
CLY. Patris fatum veneratur Jupiter ut videtur ex tuo sermone:
Ipse autem compedibus vinxit patrem vetulum Saturnum.
Quomodo hæc hisce non contraria dicis?
Vos autem hæc ut audiatis contestor.
APO. O abominanda animalia, Deorum odia!
Compedes quidem solvat, est hujusce rei remedium,
Et plurimum artificium liberatorium:
Postquam vero viri sanguinem attraxerit pulvis
Semel morientis, nulla amplius fit resurrectio.
Horum incantamenta not concessit pater
Meus, alia vero omnia sursum deorsum
Volvens constituit, viribus non anhelans.
CLY. Vide quomodo tu defendere hunc reum possis, ut absolvatur.
Matris sanguinem consanguineum effundens terra
Deinde Argis paternas ædes incolet?
Quibus usus altaribus publicis?
Quæ contribulium lavacrum hunc recipiet?
APO. Et hoc quoque dicam, et attende quam recte dicam.
Mater non est partus appellati
Procreatrix, verum nutrix fœtus recens sati:
Procreat ille qui rigat, hæc vero ut hospes hospiti

Servavit germen quibus ne noceat Deus.
Signum hujusce sermonis monstrabo tibi.
Pater quidem fiat sine matre: vicinus
Testis adest filia cœlestis Jovis,
Non in tenebris alvi enutrita,
Quale tamen germen nulla Dearum pariat.
Ego vero, Minerva, aliaque quemadmodum novero,
Urbem tuam et populum faciam magnum,
Et hunc misi tuarum ædium incolam,
Fidus ut fiat in perpetuum.
Et hunc possideas auxiliatorem, o Dea,
Et posteros: et hæc in æternum maneant,
Horum fœdera ut amplectantur posteri.

MIN. Jam his præcipio ex animo ferre
Calculum justum, jam dictum est satis.

CLY. Nobis quidem jam omnis emissa est sagitta:
Maneo ut audiam quomodo certamen hoc dijudicabitur.

MIN. Quid enim? quomodo decernens a vobis irreprehensa sim?

CLY. Audivistis, quæ audivistis, in pectore vero
Sententiam ferentes juramentum reveremini, hospites.

MIN. Audiatis jam legem populus Atticus,
Primæ causæ fusi sanguinis judices.
Manebit autem in posterum populo Ægei,
Semper incorrupta hæc erit curia.
Areopagum vero hunc, Amazonum sedem,
Tentoriaque, quando venerunt ob iram in Theseum
Bellum inferentes, et urbi huic novæ
Altas turres habenti turribus tunc opposuerunt:
Marti autem sacrificarunt, unde nomen obtinet
Petra, et Areopagus: in hoc majestas
Civium, timorque cum reverentia cognatus ab injuria
Coercebit, dieque et noctu simul,
Ipsis civibus novas non introducentibus leges [non delentes leges]
Malis accessionibus: cœno aquam
Limpidam inquinans, nunquam invenies potum.
Neque anarchiam neque tyrannidem
Curantibus civibus meis consulo venerari,
Et severitatem omnem extra urbem non ejicere.
Quis enim mortalium nihil metuens, justus erit?
Talem juste metuentes majestatem,
Regionisque munimentum, et urbis salutem
Habeatis qualem hominum nemo obtinet,

Neque inter Scythas, nec in Pelopis locis.
A muneribus immunem hanc curiam,
Venerandam, ad iram promptam, (severam) pro dormientibus
Pervigil terræ præsidium constitui.
Hanc quidem adhortationem extendi meis
Civibus in futurum. Recte autem agere oportet,
Et calculum tollere, et litem determinare,
Reveritos juramentum. Dicitur sermo.
CLY. Et quidem gravem hanc terræ societatem
Consulo nullatenus ignominia afficere.
APO. Ego quoque oracula et mea et Jovis
Timere jubeo, nec infructuosa facere.
CLY. Verum res sanguineas, non sortitus, curas,
Oracula non amplius pura proferes hic moratus.
APO. Numquid et pater erravit consiliis
In expiatione primæ cædis ab Ixione factæ?
CLY. Ais. ego vero causam non consecuta
Gravis admodum huic regioni conversabor iterum.
APO. Verum inter juniores et veteres Deos
Inhonora es tu: vincam autem ego.
CLY. Talia fecisti etiam Pheretis in ædibus:
Persuasisti fatis ut mortales facerent immortales.
APO. Æquum est profecto venerantem beneficio afficere.
Maxime vero cum id roget. [indigeat]
CLY. Tu quidem veteres leges corrumpens
Somno decepisti veteres Deas.
APO. Tu quidem statim, non consecuta causæ finem,
Evomes venenum inimicis tuis minime grave.
CLY. Quandoquidem inequitas [insultas] mihi vetulæ juvenis,
Hujusce causæ auditor maneo,
Ut animi dubia irascar urbi.
MIN. Hoc meum est opus, postremam litem dijudicare.
Calculum vero hunc Oresti adjiciam:
Mater enim nulla est quæ me genuit.
Virilem sexum in omnibus præterquam in nuptiis
Toto animo laudo, valde sum dedita patri.
Ideo mulieris non præfero fatum
Maritum interficientis ædium inspectorem.
Vincit autem Orestes, si paria suffragia habere judicetur.
Quam primum ejicite ex alveis sortes,
Quibuscunque judicum hoc mandatum est officium.
ORE. O Phœbe Apollo, quomodo certamen hoc dijudicabitur?
EUM. O Nox atra mater, numquid vides hæc?

ORE. Nunc mihi aut laqueo perire, aut lucem videre est:
CLY. Nobis enim pereundum est, aut priores honores assequi.
APO. Numerate recte ejectos calculos, hospites;
Justitiam in distributione venerantes.
Suffragio *uno* absente damnum provenit magnum.
Sed unum suffragium injectum domum servare potest.
MIN. Hic vir effugit sanguinis litem:
Æqualis enim est numerus sortium.
ORE. O Pallas, quæ servasti ædes meas,
Patria terra orbatum, tu
Me restituisti: et Græcorum aliquis dicet,
Vir Argivus rursus in opibus
Paternis habitat, Minervæ et Apollinis
Voluntate, et omnia perficientis tertii
Sospitatoris, qui paternum veneratus fatum
Servat me, hasce cernens matris patrocinium agentes.
Ego vero regioni huic et exercitui tuo
Deinceps in omne tempus futurum
Fœdus juramento confirmans, nunc domum abeo,
Quod nunquam quisquam Rex terræ huc
Veniet inferens bene paratam hastam.
Ipsi enim nos in sepulcris tunc existentes
Mea prætergredientes hoc tempore facta juramenta
Non evitandis comminiscemur infortuniis
Vias molestas, et infausta itinera
Faciemus, ita ut ipsos pœniteat laboris:
Recta statuentibus et urbem hanc Palladis
Honorantibus perpetuo confœderata hasta
Ipsis nos erimus magis benevoli.
Salve et tu etiam, et populus urbis incola,
Auxilium hostibus non vitandum habeas,
Sospitatoremque et hasta victoriosum.

CLY. Eheu! Dii juniores antiquis legibus
Inequitastis, et e manibus eum abstulistis meis.
Ego vero inhonora, misera, ira exardescens,
In hac terra, heu!
Eheu! eheu contrariam
Cordis guttam dimittam
Terram corrumpentem! ex ea vero
Virus infrugiferum libere, [frugibus terræ et humanæ soboli perniciosum]
Eheu Justitia! in terram irruens
Mortalium corruptrices maculas in regione projiciet.

Ingemiscam? quid faciam,
Aut sim? mala non ferenda
Civibus passa sum,
Eheu! grandia quidem,
Filiæ infelices
Noctis contumelia contristatæ.

MIN. Mihi obtemperate ægre hæc non ferre.
Non enim victæ estis, verum paribus suffragiis causa
Exiit revera, non in infamiam tui.
Præterea a Jove clara aderant testimonia,
Ipse etiam oracula reddens, ipse aderat testis,
Quod hæc Orestes perpetrans damnum non ferret.
Vos autem huic terræ ne graviter
Irascamini, ne indignemini, neque sterilitatem
Immittatis, dimittentes dæmonum stillas,
Cuspides immites exesuras semina.
Ego enim vobis justissime spondeo
Quod sedes et latibula justæ terræ,
Nitidos sedentes ad focos,
Habebitis, ab his civibus plurimum cultæ.
CLY. Eheu! Dii juniores antiquis legibus
Inequitastis, et e manibus eum abstulistis meis.
Ego vero inhonora, misera, ira exardescens
In hac terra, heu!
Eheu! eheu contrariam
Cordis guttam dimittam
Terram corrumpentem! ex ea vero
Virus infrugiferum, illibere
Eheu Justitia! in terram irruens
Mortalium-corruptrices maculas in regione projiciet.
Ingemiscam? quid faciam
Aut sim? mala non ferenda
Civibus passa sum,
Eheu! grandia quidem,
Filiæ infelices
Noctis contumelia contristatæ.

MIN. Non estis inhonoræ, neque iracunde admodum
Deæ mortalium terram vix sanandam statuatis,
Ego quoque Jovi freta sum, et quid attinet dicere?
Etiam Deorum unica claves ædium novi,
Ubi fulmen est obsignatum:
Verum eo non opus est: tu vero mihi obsecuta

Linguæ petulantis fructum ne ejicias in terram,
Qui causæ sit omnia ut infauste eveniant.
Quiescere fac atri fluctus acerbum robur,
Ut veneranda, et mecum contubernalis;
Magnæ hujusce regionis sacrificia ex primitiis
Tibi mactabuntur pro liberis et in nuptiarum solemnibus,
Habens in æternum laudabis sermonem.

CLY. Me hæc pati, eheu!
Me vetulam terram incolere
Inhonoram, heu facinus!
Spiro robur iramque totam.
Hoi, hoi, terra, eheu!
Quis subit
Latera mea dolor?
Iracundiam audi, mater
Nox: a me enim honorem publicum
Deorum fraudulenti
Facile sustulerunt doli.
MIN. Iram tibi condono: senior enim es.
Et quidem tu multo me sapientior es:
Verum et mihi sapere dedit Jupiter non parce
Vos autem in extraneam venientes regionem,
Hanc terram diligetis: hæc prædico.
Futurum enim tempus honorabilius erit
Civibus hisce: et tu venerabilem
Sedem retinens apud ædes Erechthei,
Consequeris a viris et fœmineo ornatu
Qualem ab aliis mortalibus nunquam obtineas.
Tu vero in locis nostris ne ejicias
Neque sanguineas corruptrices viscerum juvenilium
Pœnas, furentes ira a vino non excitata:
Neque accendens tanquam cor gallorum,
Inter cives meos statuas bellum
Et civile, et inter se invicem atrox,
Extraneum sit bellum, non omnino præsens,
Id quo fuerit magnus gloriæ amor.
Domesticæ vero avis non dico pugnam.
Talium optionem facere tibi licet a me,
Bene facientem, beneficio affectam, plurimum cultam,
Participem fore hujusce regionis Diis charissimæ.

CLY. Me hæc pati, eheu!
Me vetulam terram incolere

Inhonoram, heu facinus!
Spiro robur iramque totam.
Hoi, hoi, terra, eheu!
Quis subit
Latera mea dolor?
Iracundiam audi, mater
Nox: a me enim honorem publicum
Deorum faudulenti
Facile sustulerunt doli.

MIN. Non gravabor tibi fausta dicere:
Ut nunquam dicas te, a juniore me
Deam antiquam, et a mortalibus civitatum incolis,
Ingloriam errare hoc solo privatam.
Verum si quidem tibi chara sit Suadæ veneratio,
Linguæ meæ delinimentum,
Tu maneas (*hic:*) si autem manere nolis,
Non juste huic urbi inferas
Odium iramve, aut damnum populo.
Licet enim tibi hujusce terræ participi
Esse in æternum juste cultæ.
CLY. Regina Minerva, quam dicis me habituram sedem?
MIN. Ab omni illæsam ærumna: tu vero admitte.
CLY. Et quidem admitto: quis vero honor me manet?
MIN. Ut nulla domus sine te prospera sit.
CLY. Tune hoc facies, ut ego tantum valeam?
MIN. Colenti enim casus tribuemus faustos.
CLY. Numquid et mihi spondebis in omne tempus?
MIN. Non enim mihi licet dicere quæ non perficio.
CLY. Pene me delinîsti, et recedo ab ira.
MIN. Hanc igitur terram incolens obtinebis amicos.
CLY. Quid ergo me jubes huic urbi exoptare,
MIN. Qualia ad victoriam non malam spectant;
Et hæc e terra, et a marino rore,
Et a cœlo, ventorumque flatus
Claro Sole spirantes accedere terræ,
Fructumque terræ et pecudum copiose affluentem
Civibus abundantem non marcescere tempore,
Mortalisque seminis salutem.
Impiis autem iracundior sis.
Diligo enim hortulani instar,
Justorum horum dolore liberum genus.
Hæc ad te pertinent. quod vero ad celebria
Egregia attinet certamina, curabo ego

Hanc victoriosam inter mortales celebrare urbem.

STROPHE 1.

CLY. Recipiam Palladis contubernium,
Neque ignominia afficiam urbem
Quam et Jupiter omnipotens et Mars,
Tanquam præsidium Deorum colit,
Ornamentum Græcorum numinum
Altaribus eorum tuendis idoneum.
Ita ego precor
Vaticinans benevole
Futuros vitæ eventus utiles,
Agro affluenter educere
Splendidum Solis jubar.

MIN. Hæc ego lubenter horum civium gratia
Ago, magnas et difficulter placandas
Deas, ut hic sedem capiant persuadens.
Hæ enim omnia quæ ad homines pertinent
Sortito administrant.
Quisquis vero has deas nactus est graves et iratas,
Ipse nescit unde ipsi accidant vitæ calamitates
Priorum enim peccata eum
Ad has detrudunt, tacita mors,
Etiam si vehementer vociferantem
Inimico irarum impetu perdit.

ANTISTROPHE 1.

CLY. Arboribus autem noxium autem ne spiret damnum,
Meum beneficium dico;
Ardorque germina plantarum corrumpens
Ne transeat terminum locorum,
Nec infructuosus niger
Adrepat morbus,
Ovesque partu admodum felices
Cum gemello fœtu
Nutriat *terra* stato tempore. Proventus terræ
Uberes lucrosa
Deorum dona pendant.

MIN. Hæc audite, o Urbis præsidium (*Areopagitæ*)
Qualia perficiet: plurimum enim potest

Veneranda Erynnis apud immortales,
Inferosque, circaque homines
Manifesto perfecte agunt,
Hisce quidem cantus (*vitam jucundam*) aliis vero
Lacrymarum vitam tristem [cæcam] reddentes.

STROPHE 2.

CLY. Viros autem tollentem intempestivam
Prohibeo fortunam,
Puellarumque amabilium
Vitam concedite
Felici conjugio et sorte iis conveniente beatam,
Deæ, quarum Fata
Sorores uterinæ
Deæ recte res distribuentes,
Omni domui communes,
Omni tempori irruentes
Justo accessu
Omnino Dearum maxime venerandæ.

MIN. Hæc regioni
Meæ lubenter perficientibus
Lætor: exosculor autem Suadæ oculos,
Quod mihi linguæ et ori invigilavit
Adversus has aspere abnegantes:
Verum victor evasit Jupiter Forensis,
Vincit bonos
Contentio nostra in perpetuum.

ANTISTROPHE 2.

CLY. Malis non satiatam
Nunquam in urbe hac seditionem
Fremere precor.
Neque pulvis, hausto
Atro cruore civium,
Ultiones per furorem factas
Cædes propter cædes
Accipiat ab urbe,
Gaudia concedant
Communi animo,
Et odisse una mente:
Multorum enim inter mortales hoc est remedium.

MIN. Preces prudentibus faustæ linguæ

Viam inveniunt.
Ex terrificis hisce personis
Magnum lucrum video (*adfuturum*) civibus.
Has enim benevolas benevoli semper
Valde colentes, et terram et urbem
Recte judicantem
Decorabitis omnes viventes.

STROPHE 3.

CLY. Salvete opibus absque detrimento affluentes,
Salve populus urbis,
Prope Jovem sedentes,
Virginis amicæ amici,
Prudentes in tempore.
Palladis sub alis
Existentes veneratur pater.

MIN. Salvete et vos: priorem vero oportet me
Proficisci thalamos monstraturam.
Ad ignem sacrum horum deductorum
Ite. et victimis hisce venerandis
Sub terra ruentes, et mala quidem
Ab hac regione arcete, sed bona
Mittite in urbis victoriam.
Vos autem deducite, urbis incolæ,
Filii Cranai, hasce inquilinas.
Sit vero bonorum
Bona mens civibus.

ANTISTROPHE 3.

CLY. Salvete, salvete iterum, reduplico,
Omnes per civitatem
Diique et mortales,
Palladis urbis incolæ:
Contubernium meum
Honore prosequentes, nunquam
Queremini de calamitatibus vitæ.

MIN. Laudo verba harum precationum,
Mittamque lumina lampadum splendentium
In infernos et subterraneos locos,
Cum famulis quæ præsidio sunt simulacro
Meo juste. Lumen enim totius terræ
Theseidos egrediatur celebre agmen

Puellarum, mulierum, et vetularum.
Purpureis induti vestibus
Colite, et lumen ignis proveniat,
Ut benevolum hæc terræ societas
In futurum prosperis eventibus conspicua sit.

D. Migrate ex ædibus, magnæ, venerandæ
Noctis pueræ, sed liberis carentes,
Cum benevola pompa.
Fausta vero precamini: ite
Sub terræ latebris antiquis,
Et honoribus et sacrificiis
Cultæ, fortunaque.
Fausta vero precamini universæ.
Propitiæ vero et benevolæ terræ
Ite venerandæ, accensa
Lampade oblectatæ. In via autem
Exclamate nunc in cantibus:
Libationes ædium in perpetuum sint facibus collucentibus.
Ita Palladis civibus Jupiter omnia cernens
Unaque cum eo Parca descendit [descendat]
Exclamate nunc in cantibus.

SUPPLICES.

DRAMATIS PERSONÆ.

CHORUS DANAIDUM.
SENEX.
REX ARGIVORUM.
DANAUS.
PRŒCO.

Prologum agit Chorus.

SUPPLICES.

CHORUS.

JUPITER quidem supplicum-præses inspectet
Benevole classem nostram
Navalem solventem ab ostiis
Minime profundis
Nili. Divinam enim linquentes
Terram Syriæ conterminam fugimus,
Non ob sanguinem publica
Urbis sententia damnatæ,
Verum ab eodem genitorum maritorum fugientes
Nuptias Ægypti filiorum impiasque
Abominantes.
Danaus autem pater, et consilii autor,
Et cœtus princeps, hæc disponens,
Ex calamitatibus honestissima, auctor nobis fuit
Ut fugam capesseremus propere per fluctus marinos,
Ut appellamus autem ad terram Argivam, unde
Nostrum genus, œstro percitæ
Vaccæ e contrectatione, et ex afflatu
Jovis celebre deductum est.
Quam igitur terram hac magis benevolam
Accedamus,
Cum hisce supplicum in manibus
Lana coronatis ramis?
O urbs, o terra, et limpida aqua,
Supremique Dii, et graviter punientes
Inferi sedes obtinentes,
Et Jupiter tertius sospitator, custos ædium
Piorum virorum, recipiatis supplicem
Fœmineam classem benevolo
Spiritu regionis; virorum vero grande
Examen protervum Ægypto genitum,
Priusquam pedem in limosa hac terra
Ponant, vehiculo celeri [nave]

Mittite ad mare, ubi turbine
Procelloso tonitrui et fulguri
Imbriferisque ventis efferati
Maris occurrentes pereant,
Priusquam lectos, a quibus arcet Justitia,
Assumentes sibi consanguineas
Invitas, inscendant.

STROPHE 1.

Nunc autem invocamus
Divinum vitulum transmarinum
Vindicem, filiumque
Flores-comedentis progenitricis
Vaccæ ex afflatu
Jovis. Contrectationem enim Jovis nomine filii
Confirmavit fatale tempus
Proprie Epaphumque peperit.

ANTISTROPHE 1.

Nomen ejus memorans
In uberibus
Matris antiquæ locis,
Priorum laborum recordans,
Nunc ostendam
Manifesta testimonia, obscuraque
(*Novi*) quamvis insperanda comparebunt.
Intelliget vero quis sermonem post tempus aliquod exactum.

STROPHE 2.

Si quis augurum vero prope sit
In terra, planctum tristem audiens,
Existimabit se audire
Vocem Tereos
Miserandæ uxoris,
Lusciniæque a circis fugatæ:

ANTISTROPHE 2.

Quæ a locis et fluviis prohibita,
Plangit planctum novum nidorum:
Recolit vero pueri
Fatum, qui ab ipsa cædis authore
Periit ipsius manibus,

Crudelis matris iram sustinens.

STROPHE 3.

Sic et ego tristibus ionicis cantibus
Dilacero teneram
Nilo-enutritam genam,
Lacrymasque haud expertum cor.
Et querelas carpo
Metuens amicos, hujusce
Fugæ æria a terra
Si quis sit qui curet.

ANTISTROPHE 3.

Verum Dii generis auctores
Audite justitiam recte respiciens.
Sane autem partim
Iis haud præter fas perficientes
Partim eorum proterviam verissimo odio prosequentes,
In nuptias justi sitis.
Est autem iis qui bello male affecti sunt
Altare Mars fugientibus
Propugnaculum Deorum veneratio.

STROPHE 4.

Si quis cordate Jovem colat. [Utinam, deus rebus nostris
vere bonam exitum largiatur.]
Jovis consilium haud in promtu est conjectura indagare,
Ubique splendet, etiam
In tenebris.
Diræ sunt fortunæ
Hominibus diversiloquis.

ANTISTROPHE 4.

Cadit autem secure non in tergum
Consilio Jovis quicquid integrum perficitur.
Densæ enim animi
Umbrosæque tendunt viæ,
Perceptu omnino difficiles.

STROPHE 5.

Damnat autem respiciens
Ab excelsis turribus impios

Mortales, vim vero
Nullam exarmat [exercet]
A divino numine impunem.
Sedens superius mens
Illinc tamen [illam injuriam] persequitur
Sedibus in puris.

ANTISTROPHE 5.

Respiciat autem [divinum numen] contumeliam
Mortalem, qua juveniliter se (in nos) effert
Radix propter
Meas nuptias æstum amoris
Malesuada mente,
Mentem furentem
Retinens stimulum non vitandum, noxam
Fraude nostra sero intelligens.

STROPHE 6.

Tales dolores miseros inclamans dico
Stridulos graves lacrymas elicientes,
Eheu! eheu!
Lugubres cantilenas decentia
[Inclamans carmina,]
Viva me doloribus honoro (*mihi præfica sum.*)
Supplex imploro Apiam terram,
Simul ut barbaram orationem
Æqui bonique consulas rogo.
Sæpius autem lacero vestimenta
Linea, aut
Sidonium capitis tegumentum.

ANTISTROPHE 6.

Diis autem justa et perfecta sacra, rebus bene gestis,
Largiter præbeantur, si mors abfuerit.
Eheu! eheu!
Eheu, judicatu difficiles labores!
* * *
Qua fluctus hic abducet?
Supplex imploro Apiam terram,
Simul ut barbaram orationem
Æqui bonique consulas rogo.
Sæpius autem lacero vestimenta
Lineo, aut

Sidonium capitis tegumentum.

STROPHE 7.

Remus quidem et lino consuta
Domus (*i. e. navis*) mare arcens, belli
Tempestatem haud expertam me misit cum flatibus.
Neque me hujus exitus pœniteat,
Sed in tempore
Pater qui omnia cernit
Benevolus faciat
Semen magnum venerandæ matris,
Lectos virorum, hei! hei!
Innuptum indomitum effugere.

ANTISTROPHE 7.

Libens vero cupientem casta
Respiciat me Jovis filia,
Retinens venerandum vultum secure.
A gravibus persecutionibus
Secure
Indomitam indomita
Liberet.
Semem magnum venerandæ matris,
Lectos virorum, hei! hei!
Innuptum indomitum effugere.

STROPHE 8.

Si vero non, denigratum
Fulmine ictum genus
Terrestre,
Plurimos recipientem hospites
Mortuos Jovem
Adibimus e ramis (*facto*)
Laqueo morientes,
Non consecutæ (*auxilium*) Deorum cœlestium.
O Jupiter, eheu in Io
Iram numinum investigatricem.
Novi vero noxam
Uxoris (Jovis) omnium cœlestium numinibus potentiorem.
Ex valido enim vento
Provenit tempestas.

ANTISTROPHE 8.

Tunc non justos
Jupiter consequetur sermones,
Vaccæ
Filium ignominia afficiens,
Quem ipse aliquando generavit,
Nunc habens retortum
Oculum in precibus (*nostris:*)
Ex alto vero benevole audiat invocatus.
O Jupiter, eheu in Io
Iram numinum investigatricem.
Novi vero noxam
Uxoris (Jovis) omnium cœlestium numinibus potentiorem
Ex valido enim vento
Provenit tempestas.

DAN. Puerae, sapere oportet: cum prudenti vero
Venitis fido sene patre hujus maritimi itineris duce.
Et quid in terra agendum nunc consilium capere
Hortor, observare mea verba memorantes.
Video pulverem, mutum exercitus nuncium,
Fistulæ non tacent axe agitatæ,
Turbam vero clypeatam et hastam quatientem
Cerno, cum equis et curvis curribus.
Fortasse ad nos hujusce terræ principes
Speculatum venient, nuntiis de adventu nostro auditis.
Verum sive innoxius, sive efferatus
Cruda ira, concitatur in hunc cœtum,
Melius fuerit omni modo, o puellæ, cumulo
Adsidere horum Deorum qui certaminibus præsunt.
Turre potentius est altare, infractum scutum.
Verum quam citissime ite, et alba (*lana*) coronatos
Olivæ ramos, ornamenta venerandi Jovis,
Cum reverentia gestantes manibus sinistris,
Modesta et tristia et convenientia verba
Cum hospitibus permutate, ut advenas decet,
Clare proferentes fugam incruentam.
Vox autem sequatur, primum quidem non temeraria,
Non protervus e fronte modesta
Proveniat vultus ab oculo pudico.
Et neque procaces [sermonem occupando] nec prolixæ estote:
Hoc (loquendi) genus est valde odiosum.
Cedere autem recordare: auxilii indiga es peregrina exul.

Audacter enim loqui non decet inferiores.
CHO. Pater, prudenter prudentes alloqueris.
Diligenter autem recordabimur hæc tua
Prudentia præcepta: Jupiter autem genitor inspiciat.
DAN. Ne nunc otiosa sis, artificii autem adsit robur.
CHO. Cupio quidem nunc prope te sedem habere.
DAN. O Jupiter, ne te nostri tum demum misereat, cum laboribus prorsus oppressæ fuerimus.
CHO. Respiciat quidem benevolo oculo.
Hoc volente fauste hæc cedent.
DAN. Jovisque alitem hunc nunc invocate.
CHO. Invocamus jubar Solis sospitatorium,
Castumque Apollinem, exulem e cœlis Deum.
Cernens hoc fatum, ignoscat mortalibus.
DAN. Ignoscat quidem, et benevolus adsit.
CHO. Quem amplius Deorum horum invocabo?
DAN. Video tridentem hunc, signum Dei.
CHO. Benevole (*huc nos*) misit, benevole etiam recipiat in terra.
DAN. Mercurius hic alius secundum Græcorum leges.
CHO. Liberis fausta pronunciet.
DAN. Omnium horum Regum commune altare
Veneramini: in hoc loco sancto ut turba turturum
Sedete, circorum cognatorum ob metum,
Inimicorum consanguineorum, inquinantium genus.
Quomodo avis avem devorans casta sit?
Quomodo invitam ducens ab invito
Pudicus sit? neque apud inferos mortuus
Effugiat petulantiam criminis, hoc perpetrans.
Etiam ibi judicat facinora, ut fertur,
Jupiter alius inter mortuos exercens supremum jus.
Considerate et permutate hunc locum,
Ut res hæc vobis in victoriam cedat.
REX. Cujátem cœtum hunc haud Græcum,
Vestibus barbaris et velamentis
Ornatum alloquimur? non enim Argivus est
Mulierum amictus, neque a locis Græciæ.
Quomodo autem ad regionem (*hanc*) neque præcone
Præmisso, extraneæque, sine duce, venire
Ausæ estis intrepide, mirandum hoc est.
Rami quidem, ut moris est supplicibus,
A vobis deponuntur apud Deos certaminum præsides:
Hoc tantum Græca terra conjectura assequatur,
Alia etiam multa conjicere par esset,
Nisi præsenti vox foret quæ indicet.

CHO. De amictu locutus es vera verba.
Ego vero te utrum ut popularem alloquor,
Aut custodem templi sceptro insignem, aut urbis ducem?
REX. Ad hæc responde et cum fiducia dic mihi:
Indigenæ enim ego sum Palæchthonis
Filius Pelasgus, hujusce terræ princeps.
Mei autem, Regis, apte cognomen ferens
Pelasgorum genus hac terra fruitur,
Totiusque terræ, per quam Algus transit,
Strymonque ad Solem occidentem, imperium habeo.
Termino autem hanc Perrhæborum terram,
Quæque ultra Pindum, prope Pæonas,
Montesque Dodonæos: contrahit autem terminus
Humidi maris: hæc præter illa possideo.
Ipsius vero regionis Apiæ solum hoc
Olim nomen tulit medici gratia.
Apis enim veniens e finibus Naupactiis
Medico-vates filius Apollinis terram hanc
Expurgavit ab animalibus homines interimentibus;
Quæ quidem antiquorum sanguinum inquinamentis
Polluta edidit terra iratas belluas,
Draconum turbam, crudele contubernium.
Horum remedia incisoria et liberatoria
Inculpate inveniens Apis Argivæ terræ,
Memoriam in precibus mercedis loco consecutus est.
Habens jam (*hæc*) de me indicia,
Genus tuum clare efferas, et ulterius loquaris:
Longam quidem orationem urbs non diligit.
CHO. Brevis et perspicuus sermo, Argivæ genere
Gloriamur fore, semen vaccæ prole felicis:
Et hæc omnia vera ostendam in sermone.
REX. Incredibilia auditu mihi, o hospites, loquimini,
Quomodo hoc sit vobis Argivum genus.
Libycis enim similiores estis
Mulieribus, et nullatenus indigenis.
Et Nilus quidem talem nutriat plantam,
Cypriusque character in fœmineis formis
Similis incutitur a maribus fabris:
Indasque audio nomadas camelis
Equis celeritate paribus vehi, terram
Vicinam Æthiopibus incolentes.
Innuptasque carnem devorantes Amazonas,
Si arcus gestaretis, omnino conjicerem
Vos fore. Edoctus melius sciam

Quomodo progenies semenque Argivum tuum sit.
CHO. Ædituam Junonis dicunt aliquando
Io fuisse hac in Argiva terra
Quam, ut maxime et magna fama se habet.

* * * * * *

REX. Numquid et fama est Jovem commiscuisse se cum mortali?
CHO. Neque vero latuit Junonem iste pellicatus
REX. Quomodo ergo finiunt Regum hæ contentiones?
CHO. Mulierem vertit in vaccam Argiva Dea.
REX. Numquid igitur appropinquat Jupiter vaccæ pulchri-corni?
CHO. Aiunt assumta tauri vaccis insilientis forma.
REX. Quid ad hæc uxor præpotens Jovis?
CHO. Omnia cernentem custodem constituit vaccæ.
REX. Qualem omnia cernentem bubulcum dicis?
CHO. Argum, quem Mercurius terræ filium interfecit.
REX. Quid igitur aliud struxit infelici vaccæ?
CHO. Boves exagitantem asilum, motorium,
Œstrum id vocant Nili incolæ.
REX. Eam igitur ex hac terra expulit longo cursu.
CHO. Et hæc omnia dixisti convenienter mihi.
REX. Etiam ad Canobum et ad Memphim profecta est?
CHO. Et Jupiter contrectans manu generat prolem.
REX. Quis igitur gloriatur se fore divinum vaccæ vitulum?
CHO. Epaphus, vere a liberationibus cognomen obtinens.
REX. * * * * * * * * *
CHO. Libyæ maxima hujus terræ parte fruitur.
REX. Quem igitur alium hujus germen dicis?
CHO. Belum filios duos habentem, patrem patris mei.
REX. Sapientissimum hoc nomen indica mihi.
CHO. Danaus: frater autem ei est quinquaginta filiorum pater:
Etiam Danai nomen proprio vocabulo
Ægyptus. Intelligens vero nostrum antiquum genus
(*Ita*) agas ut Argivum erigas cœtum.
REX. Videmini quidem mihi hujus terræ fuisse participes
Antiquitus; verum quomodo paternas ædes
Deserere ausæ estis? quinam accidit casus?
CHO. Rex Pelasgorum, varia sunt hominum mala.
Laboris nunquam videas eandem alam.
Quandoquidem quis exspectasset insperatam hanc fugam,
Nos appellere ad Argos affinitatem prius consanguineam,
Odio lectorum nuptialium in timorem conjectas?
REX. Quid ais te petere a diis hisce certaminum præsidibus?
Alba (*lana*) coronatos tenentes recens-decerptos ramos?

CHO. Ut non fiam famula Ægypti generi.
REX. Utrum præ odio, aut quod non licitum est dicis?
CHO. Quis vero propinquos (dote sua) dominos emat?
REX. Robur quidem eo modo magis augetur mortalibus.
CHO. Et ab infelicibus quidem facilis est discessus.
REX. Quomodo ergo versus vos pius ego sim?
CHO. Petentibus ne tradas iterum Ægypti filiis.
REX. Gravia tu quidem dicis, bellum novum suscipere.
CHO. Verum Justitia commilitones suos tuetur.
REX. Recte istud quidem si nimirum Justitia ab initio causæ patrocinata fuerit.
CHO. Reverere tu puppem [aras hasce] urbis ita coronatam.
REX. Horrui, cernens has sedes umbrosas.
CHO. Atrox quidem est ira Jovis supplicum præsidis.

STROPHE I.

CHO. Palechthonis fili, audi me
Benevolo corde, Pelasgorum Rex.
Respice me supplicem exulem vagabundam,
Ut vitulam albis maculis cumpunctam in petris
Accessu difficilibus. Auxilio
Freta mugiit
Enarrans pastori dolores.

REX. Cerno ramis recens decerptis umbrosum
Novumque sodalitium, quod ad deos certaminum præsides confluxit
Sit res hospitum ab urbe oriundarum sine civitatis damno.
Neque ex insperatis et improvisis urbi
Fiat contentio: his enim non indiget urbs.

ANTISTROPHE I.

CHO. Respiciat quidem fugam absque noxa
Supplicum præses Themis, Jovis omnia perficientis filia.
Tu vero a serius-genita senex existens disce
Supplicem venerans, a quo
Sacraficia diis propitiis grata pacem exposcent
A viro puro.

REX. Atqui haud sedetis ad ædium focum lararium
Mearum: si vero in commune polluitur urbs,
In commune populus curam gerat conficiendi remedia.
Ego autem non perficiam promissum prius,

Civibus vero omnibus de hac communicabo.

STROPHE 2.

CHO. Tu quidem urbs, tu populus es,
Rector nullius judicio obnoxius existens,
Imperium geris altaris et foci terræ:
Unico tuo nutu
Inque solio regio solo sceptrum habente negotium
Omne peragis: scelus devites.

REX. Piaculum quidem eveniat inimicis meis;
Vobis autem auxiliari sine damno haud possum;
Neque vero clementis est hasce preces negligere.
Non queo me extricare, metuo et
Efficere, et non efficere, fortunæque optionem facere.

ANTISTROPHE 2.

CHO. E cœlis speculatorem respice,
Custodem ærumnosorum
Virorum, qui propinquis assidentes
Non consequuntur justitiam legibus consentaneam.
Permanet quidem Jovis supplicum præsidis ira
In difficulter demulcendis patientis ærumnis.

REX. Si tui imperium habeant Ægypti filii,
Secundum urbis legem aientes se genere proximos
Fore, quis hisce sese velit opponere?
Oportet te, instar reæ, hac defensione uti secundum leges
domesticas,
Quod non habeant jus qualecunque in te.

STROPHE 3.

CHO. Ne fiam unquam subdita
Virorum robori: a stellis vero ductum
Artificium nuptiarum infelicium terminabo
Fuga. in auxilium autem assumens justitiam,
Judica prout exigit Deorum reverentia.

REX. Non facile judicatu judicium est: ne me judicem assumas.
Prius etiam dixi quod sine populo hæc non
Fecero, quamvis imperium obtinens, ne quando
Dicat populus, si quid aliter evenerit,
Advenas honorans, perdidisti urbem.

ANTISTROPHE 3.

CHO. Utrosque consanguineorum inspectat
Jupiter in alteram partem inclinans, rependens ut æquum est
Prava quidem pravis, sanctaque sanctis.
Cur, hisce cum æquato libramine constantibus,
Te piget quod justum est facere?

REX. Opus quidem est profunda cura sospitali,
Instar urinatoris, in imum pervenire (*oportet*)
Perspicacem oculum, non nimis circumvolutum;
Ut sine damno hæc, primum quidem urbi
Nobisque ipsis eveniant fauste,
Et ut neque bellum [ab Ægypti filiis vos] tanquam [suis] vindiciis obnoxias persequatur.
Neque in Deorum sedibus hic collocatas
Tradentes vos, Deum omnia-perdentem
Atrocem contubernalem habebimus vindicem,
Qui nec in Orco mortuum liberat.
Nonne videtur quod opus sit cura sospitali?

STROPHE 1.

CHO. Curato, et esto
Juste pius hospes,
Exulem ne tradas
Alonge expulsione
Infelici proruentem:

ANTISTROPHE 1.

Nec cernas me a sedibus
Multorum Deorum tanquam pignus raptam, o qui
Totum terræ imperium habes.
Nosce injuriam virorum,
Et caveto ab ira (*Jovis.*)

STROPHE 2.

Neque sustineas supplicem cernere
A simulacris præter
Jus raptam
Instar equi et vittarum peplorumque
Multis liciis textorum meorum prehensionem.

ANTISTROPHE 2.

Noris enim hæc, et liberis et ædibus
Qualia facias,
Certum est his vicissim rependere
Similem justitiam:
Hæc perpende justa a Jove jura.

REX. Et quidem perpendi: huc vero res pervenit,
Aut in hos aut illos bellum novum suscipere
Omnino necesse est: et clavis compacta est navis,
Cuneis nauticis ita adjuncta.
Absque dolore non erit finis.
Et divitiis quidem e domo direptis,
Jactura illa major, et qui eam magnopere expleat acervus
Aliunde accesserit Jovis fortunatoris beneficio.
Et si lingua forte effuderit verba non opportuna,
Luctuosa animum valde commoventia,
Facile inveniatur sermonis sermo demulctorius.
Ut vero consanguineus sanguis haud effundatur, oportet
Multum sacra facere, et cadere sacrificia ad responsa
Elicienda diis multis, (et cædere multas hostias multis diis) multa damni remedia.
Omnino ab hac lite ego recedo:
Velim autem ignarus potius malorum quam gnarus
Fore. Fausta eveniant præter sententiam meam.
CHO. Multorum audi finem modestorum sermonum.
REX. Audio, ulterius loquaris, non me fugiet.
CHO. Habeo fasciam cingulaque vestes colligantia.
REX. Fortunæ mulierum hæc conveniunt.
CHO. Ex his igitur, scias, commentum (*fuerit*) pulchrum.
REX. Dic, qualem hanc vocem prolocutura es.
CHO. Nisi certi aliquid huic cœtui promiseris.
REX. Quid tibi peraget cingulorum commentum?
CHO. Novis tabulis ut simulacra hæc ornem.
REX. Ænigmati simile est hoc verbum: verum quomodo, dic.
CHO. De Diis hisce ut suspendam me quantocius.
REX. Audivi sermonem cor pungentem.
CHO. Intelligis: manifestius enim te cernere feci.
REX. Et undequaque res ineluctabiles (*sunt.*)
Malorum autem multitudo, ut flumen, ingruit.
Et mare calamitatis immensa profunditate haud exsuperabile
Me obruit, et nullibi portus (*est*) malorum.

Si enim vobis hoc negotium non perficiam,
Piaculum nominasti nulla arte reparandum.
Rursus si cum consanguineis tuis, filiis Ægypti,
Pro muris constitutus pugnam confecero,
Quomodo damnum non fiat acerbum,
Viros mulierum gratia terram cruentare?
Necesse tamen est iram revereri Jovis supplicum
Præsidis: maximus enim (*Jovis*) inter mortales timor (*est.*)
Tu quidem senex pater harum virginum
Ramos hosce sub ulnis ferens,
Ad alia altaria Deorum hujusce regionis
Deponas, et videant hujus adventus signum
Cives cuncti: nec temere effutiatur
Sermo meus: ad incusandum enim magistratum pronus est populus.
Fortasse commiseratio inspiciens hæc,
Odio habeat injuriam cœtus masculi.
In vos autem populus sit magis benevolus:
Versus inferiores enim quisque benevolentiam fert.
DAN. Plurimum a nobis hæc sunt æstimata,
Reverendum benevolum hospitem invenire.
Asseclas vero et monstratores viæ ex indigenis
Una mitte, ut Deorum urbis præsidum
Altaria ante templa (*exstructa*) et sedes Deorum
Inveniamus, securitas vero sit per urbem
Euntibus: formæ species non similis (*illis*) est.
Nilus enim non simile Inacho genus
Nutrit. cave ne audacia pariat metum:
Etiam amicum quis ex ignorantia interfecit.
REX. Eatis, o viri: recte enim loquitur hospes.
Ducite ad urbis altaria, Deorum sedes.
Nec occurrentibus multa loqui oportet,
Ducentes nautam hunc Deorum domesticum.
CHO. Hunc quidem allocutus es, et composite eat.
Ego autem quid faciam? quomodo mihi robur præbes?
REX. Ramos quidem hic linque, laboris signum.
CHO. Et quidem linquo, manu et verbis tuis.
REX. Lævem in hunc lucum nunc diverte.
CHO. Et quomodo profanus lucus me liberet?
REX. Non alatorum rapinis te trademus.
CHO. Verum iis qui draconibus infestis infestiores sint.
REX. Fausta sint verba fauste loquenti.
CHO. Non mirum est tristem me fore animi metu.

REX. Verum regum metus semper immoderatus est.
CHO. Tu et loquaris animo læto et agas.
REX. Non longo tempore solus fuerit pater (*tuus.*)
Ego vero populum convocans indigenam,
Persuadebo communitatem, ut benevolam (*versus te*) faciam,
Tuumque docebo patrem qualia loqui oportet.
Ad hæc maneas, et a Diis indigenis
Precibus ea pete, quæ obtinere tibi animus est.
Ego autem peragens veniam :
Suada autem et fortuna perfica sequatur.

STROPHE 1.

CHO. Rex regum, beatorum
Beatissime, et perfectorum [potentium potentissimum]
Perfectissimum robur, beate Jupiter,
Obsequere et fiat.
Immerge mari virorum injuriam juste odio habèns,
Lacuique injice purpureæ
Remigibus atris actam navem exitiosam.

ANTISTROPHE 1.

A fœminis descendens respiciens
Multo celebratum nostrum
Genus, a dilecta tibi progenetrice muliere,
Renova jucundam fabulam,
Esto memor contrectator Ius.
Divinæ (*Ægypti*) genus gloriamur fore,
Ab hac terra incolæ.

STROPHE 2.

In antiquum vestigium migravi
Matris flores depascentes vultus,
Pratum quod vaccam pavit, unde Io
Œstro exagitata
Fugit amens,
Multa mortalium pertransiens
Genera. Bis autem oppositam
Terram fato dissecans
Transitum fluctuosum pervenit :

ANTISTROPHE 2.

Penitus transit Asiam terram

Per Phrygiam oves pascentem.
Pertransit autem Teuthrantis urbem Mysorum,
Lydiasque planicies;
Et per montes Cilicios
Pamphyliorumque genera concitato cursu;
Fluvios quoque perpetuo-fluentes,
Et fertilem admodum tellurem, et
Veneris terram frumentiferam.

STROPHE 3.

Pervenit autem, acta jaculo
Bubulci alati,
Ad divinum omnium altricem lucum,
Pratum à nive nutritum, quemque intrat
Typhonis robur,
Aqua Nili a morbis intacta,
Insaniens laboribus
Ignominiosis, doloribusque tanquam stimulo
Pungentibus divinæ Junonis.

ANTISTROPHE 3.

Mortales vero qui tum terræ erant incolæ
Gravi timore animo
Perculsi sunt, visum insolitum,
Pecudem intuentes intractabilem mortali sexu
Mixtam, partem quidem vaccæ,
Partem vero mulieris: prodigium vero stupebant.
Tunc quis erat qui demulcebat
Errantem miseram
Œstro agitatam Io?

STROPHE 4.

Jupiter seculi infiniti dominus.
* * * * * * *
Vis autem innocuo robore
Et divinis afflatibus
Cessat, lacrymarum vero
Distillat luctuosum pudorem.
Recipiens vero saburram (onus) divinam, ut vere fertur,
Peperit filium inculpatum,

ANTISTROPHE 4.

Longo ævo beatissimum;

Unde tota clamat terra,
Vitale hoc genus
Revera Jovis est.
Quis enim (*alius*) sedasset
Junonis morbos insidiosos?
Hoc Jovis opus est: et hoc genus qui dicis
Ex Epapho fore, (*veritatem*) consequaris.

STROPHE 5.

Quem Deorum aptius invocem
Justiora ad opera?
Pater rerum conditor, a seipso Rex * *
Generis valde prudens magnus
Faber, omne commentum secundus Jupiter,

ANTISTROPHE 5.

Sub dominio nullius potentiorum sedens
Minus imperium obtinet:
Neminem superius sedentem veneratur infra,
Adest opus simul ac dictum,
Quorum animus sagax fert peragere.

DAN. Bono animo este, filiæ, bene indigenæ
Populi scita jam perlata et rata sunt.
CHO. O salve, senex charissime nunciorum mihi,
Dic vero nobis quam in partem latum sit populi, decretum,
Populi imperium obtinens manus qua (suffragiorum) numero major est.
DAN. Decretum est Argivis non sententiis diversis,
Verum ita ut juvenescam ego animo vetulo;
Totius enim populi manibus dextris
Horruit æther hanc rem decernentis;
Nos (*scilicet*) hanc terram incolere liberos, et
Pignoris loco non captos, et cum jure asyli inter homines:
Et neque incolarum neque advenarum
Quenquam ducere: si vero addatur vis,
Qui non opitulabitur his terræ participibus,
Infamem futurum publica sententia in exilium missum.
Talem persuasit sententiam de nobis loquens
Pelasgorum rex, Jovis supplicum præsidis iram
Gravem prædicens nunquam in futurum
Urbem angere, hospitaleque et urbicum simul

Dicens duplex inquinamentum ante urbem apparens
Infinitum calamitatis nutrimentum fore.
Hæc audiens Argivus populus, manibus
Statuit sine præcone ut hæc fierent.
Concionatoriam autem audiit suasoriam orationem
Pelasgorum populus: Jupiter vero finem statuit.

Agedum, recitemus in Argivos
Preces bene ominatas, bonorum retributiones.
Jupiter vero inspectet hospitalis hospitis
Oris honores vere
Inculpate ad omnem finem.

STROPHE 1.

Nunc tandem Dii
A Jove orti audiatis nos
Fausta generi (*huic*) precantes
Nunquam pelasgorum urbem,
Illætabilem clamorem edens,
Incendat ferox Mars,
Arationibus
Demetens mortales in aliis:
Quoniam miserti sunt nostrum,
Sententiamque benevolam protulerunt:
Reverentur supplices Jovis,
Gregem haud invidia dignam:

ANTISTROPHE 1.

Neque pro viris
Sententiam protulerunt, ignominia
Afficientes litem mulierum:
Divinum respicientes
Vindicemque speculatorem,
Non oppugnandum, quem
Nulla domus habeat
Super tectum
Inquinantem, gravis enim insidet.
Reverentur enim consanguineos,
Supplices puri Jovis,
Quapropter puris
Aris Deos placabunt.

STROPHE 2.

Umbroso igitur [olivæ ramis operto]
Ex ore evolent
Honorificæ preces,
Nunquam pestis viris
Hisce urbem exinaniat,
Nec indigenis
Cadaveribus cruentet terram:
Juventutis flos non decerpatur:
Neque Veneris
Concubitor, exitialis Mars,
Demetat florem.

ANTISTROPHE 2.

Et senum [sacerdotum] ministeriis frequentibus
Affluant
Aræ, ignibusque adolescant,
Ut urbs recte administretur.
Jovem magnum venerentur,
Hospitalem supremum Jovem,
Qui cana lege fatum dirigit.
Nasci rectores terræ
Alios in perpetuum precamur:
Dianam vero jaculatricem mulierum
Partus inspectare.

STROPHE 3.

Neque viros interficiens
Pernicies adveniat,
Hanc urbem devastans,
Chororum et lyræ expers,
Lacrymabilem Martem
Clamoremque populorum excitans.
Morborumque examen a civium
Robore absit injucundum:
Propitius vero Lycius (*Apollo*) sit
Toti juventuti.

ANTISTROPHE 3.

Fructum ferre
Jupiter concedat
Terram proventu perpetuo.
Ita vero et animalia ante urbem pascentia [pecudes]

Fœcunda sint.
Omniaque a Diis recipiant.
Fauste vero acclament
Musæ Deæque cantatrices:
Puroque ex ore feratur
Cantus lyræ amans.

STROPHE 4.

In honore magistratus semper habet
Populus: urbi imperet
Providus et commodi publici studiosus magistratus.
Hospitibusque ad amicam compositionem proclives,
Priusquam arment Martem,
Id quod justum est sine damno tribuant.

ANTISTROPHE 4.

Deos vero indigenas qui (*hanc*) terrram obtinent
Semper honorent patriis
Lauriferis sacrificiorum honoribus.
Parentum enim veneratio
Tertia in legibus
Scribitur Justitiæ plurimum venerandæ.

DAN. Has quidem preces prudentes laudo, amicæ:
Vos vero ne contremiscatis audientes patris
Inexpectatos hosce et novos sermones.
Ab hac enim specula supplices-recipiente video
Navem: insignita enim non me latet;
Ornatusque veli, et tabulata, tegumenta [tabulata] navis,
Et prora ulteriorem oculis cernens viam,
Clavo directori postremo navis
Parato valde obaudiens, ut (*nobis*) non amica.
Conspicua vero sunt nautarum nigra
Membra ex vestibus albis,
Cæteraque navigia, omniaque auxilia
Decora (*sunt*:) ipsa vero navis dux sub terra
Contrahens velum omnibus viribus remigatur.
Verum quiete oportet et prudenter
Negotium respicientes, Deos hosce non negligere.
Ego vero auxiliatores et patronos mecum ferens veniam.
Fortasse enim aut præco aut legatus veniat,
Nos abducere volentes, vindicias postulantes.
Verum horum nihil fiet: ne nunc contremiscatis.
Tamen melius (*est*,) si tardi cum auxilio veniamus,

Hujusce auxilii nullo modo oblivisci.
Bono animo esto: tempore dieque statuto
Mortalium quis in Deos peccans pœnas dabit.

STROPHE 1.

CHO. Pater, timeo, naves tam celeriter volantes
Veniunt, spatium vero nullum est interea temporis:
Terribilis me detinet timor revera.
Longa e fuga jam nullus mihi est fructus,
Pereo, pater, ob metum.

DAN. Quandoquidem perfecta est sententia Arvigorum, o liberi,
Bono animo esto, pugnabunt pro te, (*id*) ego certo novi.

ANTISTROPHE 1.

CHO. Perditum ac protervum est Ægypti genus,
Pugnæ insatiabile; gnarum alloquor.
Ligno compactas habentes nigras
Naves, adnavigarunt, ira bene collimante [viam monstrante]
Nigro cum exercitu multo.

DAN. Verum multos invenient in meridianis
Caloribus habentes lacertum bene exercitatione constrictum.

STROPHE 2.

CHO. Solam vero ne linquas, oro (*te*,) pater.
Mulier sola relicta nihili est: non inest (*ei*) robur.
Vafri autem et fraudulenti
Impuris animis, instar corvorum (*rapient nos*,)
Aras nihili æstimantes.

DAN. Pulchre quidem hæc nobis conducant, o liberi,
Si simul te et Deos odio prosequantur.

ANTISTROPHE 2.

CHO. Non tridentes hosce et Deorum majestatem
Metuentes, a nobis manum abstinebunt, pater.
Nimis enim feroces sunt iræ impietate
Canina audacia et impudentia inducti, deorum
* * * * *

DAN. Verum fama est lupos potentiores car[illegible]ıbus
Esse: arundinis fructus non præs[illegible]at aristæ.

CHO. Ut petulantium impiorumque virorum
Iram habentes, illos vitare nos oportet.
DAN. Non celer est nautici exercitus motus,
Neque statio, neque funium securitas
Ad terram inferenda, neque in anchoræ stabilitate
Statim confidunt navium rectores;
Præsertim cum accedant terram portum non habentem,
In noctem recedente Sole, solet
Gravem anxietatem parere nox gubernatori prudenti.
Ita neque fiat exercitus egressus
Tutus, priusquam navis statione confidat. Tu vero
Cave ne ob timorem negligas Deos,
Quærens auxilium. Nuncium vero non incusabit urbs senem,
Juvenescentem animo ad loquendum prompto.

STROPHE 1.

CHO. Eheu terra montana, merito veneranda!
Quid patiemur? quorsum fugiamus Apia
In terra, obscurum si qua sit latibulum?
Ater fiam fumus
Nubibus appropinquans Jovis,
Omnino invisibilis
Circumvolitans sicut
Pulvis sine alis peream.

ANTISTROPHE 1.

Consistere cor præ timore haud potest, quin confestim effugiat.
Tenebrosum mihi palpitat cor.
Patris speculatus me interemit: perii ob metum.
Velim autem fatalem
Laqueum consequi in vinculis,
Prius quam vir exosus
Appropinquet manibus,
Prius morienti orcus imperet.

STROPHE 2.

Priusquam illud fiat, sedes mihi in aëre contingat,
d quam nubes per aquosas confluant nives,
A... ·ærupta, capris inaccessa, inhospitalis
Aut p... vasta
Solitaria, ... ·bitata rupes, profundum
Vulturibus ha... ·untians,
Lapsum mihi de...

Antequam invito animo
In violentas istas nuptias incidam.

ANTISTROPHE 2.

Canibus fieri prædam et indigenis
Avibus cœna non recuso:
Mors enim liberat
Ab ærumnosis calamitatibus.
Veniat, veniat mors ante
Lectum nuptialem me interimens.
Quod de me amplius remedium
Inveniam nuptiarum et liberationem?
Tristem emitte vocem, cœlestes
Cantus precatorios Diis, quæ bonum exitum
Perficiant, quæ me [ex his periculis]
Liberent.
Bellica molimina respice, pater,
Si vim inspicere soles
Oculis justis.
Faveas supplicibus tuis,
Jupiter, præpotens, qui terræ imperium obtines.
Genus enim Ægyptium masculum
Injuria haud ferenda,
Cursu me persequens,
Fugitivam investigationibus luctuosis
Vi me capere quærit.
Tuam autem super omnia bilancem
Libra.
Quid sine te perfectum redditur mortalibus?
Oh, oh, oh! ah, ah, ah!
Jam navales isti raptores in eo sunt, ut in terram escendant
Ante hæc prehensor moriaris, ioph, om
Iterum descensus
Lamentabilem vocem edo.
Video hic procemia antecedentia labores
Violentos meos hei! hei!
Ito celeriter ad opem:
Terribilia castitati nostræ
Non ferenda sive in navi sive in terra impendent,
O rex, tuere nos.
PRŒ. Properate, properate
In navem quantocius.
CHO. Non, non,
Vulsiones, vulsiones, punctiones,

Cruenta lethalis
Abscissio capitis.
PRŒ. Properate, properate perditæ perditæ in navem.
Deinde per multifluum
Salsum transitum,
Tyrannica cum violentia,
Et lancea ferro vincta
Cruentam te sistam in nave,
Una strepe postea
Jubeo vi dimittere
Statim mentis insaniam.
CHO. Hei! hei!
PRŒ. Relinque sedes, ito ad navem,
Inutile est hic in urbe deos venerare.
CHO. Nunquam iterum (*me*) videat
Pinguefaciens aqua,
Unde auctus
Vitalis sanguis mortalibus germinat.
Pura vero et omnino proba
Sedes sedes Deorum teneo, o senex.
PRŒ. Tu vero in navem, in navem
Ibis statim
Volens nolens
Vi, vi maxima
Ite protinus priusquam male habeatis
A manibus perditis.
CHO. Hei! hei! hei! hei!
Infeliciter pereas
In marino luco
Circa Sarpedonium
Promontorium arenosum errans
Lato in aëre.
PRŒ. Ejula, ac clama, et invoca Deos:
Ægyptiam enim navim non evitabis,
Ejula et clama acerbiora
Ærumnæ nomen obtinens. (obtinentia.)

STROPHE I.

CHO. Hei! hei! hei! hei! hei
Contumelia ante littus latrat
Execranda ferociter profers,
Quæcunque interrogas: magnus
Nilus avertat te inferentem
Injuriam inauditam.

PRŒ. Proficisci jubeo in navem ad contrariam partem versam
Quam citissime: ne qua otietur.
Trahendi enim violentia capilli tui cincinnos minime reverebitur.

STROPHE 2.

CHO. Hei! hei, pater! simulacrorum
Auxilium, (nunc vera potius) calamitas me ad mare ducit
Gradatim tanquam araneæ
Spectrum, spectrum nigrum.
Otototoi!
Mater Terra, mater Terra, clamorum
Terrorem propulsa.
O pater Terræ fili Jupiter.

PRŒ. Non metuo Deos hujusce loci:
Non enim me nutrierunt, nec ad senectutem perduxerunt victu.

STROPHE 3.

CHO. Furit prope bipes serpens,
Ut vipera me
Mordens.
Otototototoi!
Mater Terra, mater Terra, clamorum
Terrorem propulsa.
O pater Terræ fili Jupiter.

PRŒ. Si quis in navem non eat, hæc laudans,
Lacinia vestis texturam non commiserebitur (*lacerabitur vestis.*)

STROPHE 4.

CHO. Eheu urbis duces primores, vincor.
PRŒ. Multos Reges, filios Ægypti, statim
Videbitis: bono animo este, non vocabitis anarchiam.

STROPHE 5.

CHO. Periimus
Inexpectata, o Rex, passæ sumus.

PRŒ. Trahere vos videor capillis avellens,

Quoniam non auscultas hisce meis sermonibus.

REX. Tu quid facis? qua audacia
Virorum Pelasgorum terram hanc ignominia afficis?
Numquid in mulierum urbem existimas (*te*) venisse?
Barbarus cum sis versus Græcos admodum insolens es:
Et in multis peccans nihil animo recte fecisti.
PRŒ. In quo ex his erratum est mihi præter jus?
REX. Primum quidem hospes fore non nosti.
PRŒ. Quomodo vero non, perdita inveniens?
REX. Quos alloqueris hospites indigenas?
PRŒ. Mercurium maximum hospitem inquisitorem.
REX. Deos allocutus, Deos non omnino veneraris.
PRŒ. Deos Niliacos veneror.
REX. Qui vero hic sunt, non omnino, ut ego a te audio.
PRŒ. Ducam quidem, si quis hasce e manibus non auferat.
REX. Lugebis si tetigeris, abhinc non longe.
PRŒ. Audivi verbum nullo modo hospitale.
REX. Non enim hospitio excipio Deorum deprædatores.
PRŒ. Hæc veniens dicam Ægypti filiis?
REX. Hoc equidem prorsus non curo.
PRŒ. Verum ut scias, dicam manifestius.
Decet enim præconem referre clare
Singula. quomodo dico? et a quo, si rediero, mihi abreptum esse
Mulierum consanguineum cœtum?
Non hæc dijudicat ex testibus
Mars: neque litem pecunia accepta
Solvit: verum prius multæ fient
Strages virorum, et vitæ jacturæ violentæ.
REX. Quid oporteat dicere, justa tandem edoctus,
Et scias ipse, et socii tui.
Has vero volentes, et cum lubitu animi,
Ducas quidem, si pius persuadeat sermo.
Talis omnium urbis civium una
Sententia decernitur, nunquam vi tradere
Cœtum mulierum: horum adacta est plane
Impages penetranter, ut maneat inconcusse.
Hæc tabulis non sunt inscripta,
Nec in plicaturis librorum sigillata:
Sed manifesta audis ex libere-loquente
Lingua: recede vero quam citissime ex oculis (*meis.*)
PRŒ. Hæc scias, jam bellum suscipies novum.
Victoria vero et robur sit viris.

REX. Sed et viros quoque hujusce terræ incolas
Invenietis, non bibentes hordeaceum vinum.——
Vos vero omnes una cum amicis asseclis
Cum fiducia ingredimini in urbem bene-munitam,
Turrium profundo molimine conclusam.
Et domus quidem multæ sunt publicæ,
Neque vero ego ædificavi parva manu.
Jucundum est felices inhabitare domos
Una cum multis aliis: si vero major sit gratia,
Licet incolere domos quæ vos tantum capiant.
Horum optima animisque (*vestris*) gratissima (*licet*)
Decerpite (*eligite.*) Patronus autem ego (*ero,*) civesque
Omnes, quorum hæc decernitur sententia.
Cur patronos plus pollontes expectares?

CHO. Pro bonis quidem bonis abundes,
Divine Pelasgorum (*rex.*)
Huc autem mitte benevolus nostrum
Patrem fiducia præditum Danaum, providum,
Et consilii authorem: hujus enim prior
Est cura, ubi oportet domos incolere,
Et (*ubi*) locus benevolus. quisque inferre
Contumeliam diversa lingua utentibus
Promptus (*est:*) eveniant vero optima.
REX. Imo vero cum bona fama,
Et sine sinistro populari rumore
Habitacula occupate, charæ famulæ, eo modo [locum vestrum tenete,]
Quo unicuique filiæ constituit
Danaus tanquam dotem servilem.

DAN. O liberi, Argivis supplicari opportet,
Et sacrificare et libare ceu Diis cœlestibus
Libamina, quando quidem servarunt nos eodem animo omnes.
Et quæ a me facta sunt adversus pertinaces
Consanguineos amicos non acerbe audiverunt:
Mihi autem stipatores hos, satellitesque hastatos
Statuerunt, ut habeam munus eximium;
Neque inexpectato hasta crudeli cæsus
Lateam, (ex eaque cæde) huic regioni onus (*piaculum*) perpetuum adsit.
Talia me consecuto, decoram mentis
Gratiam præstantiorem mihi veneramini.

Et hæc quidem adscribetis scriptis
Multis aliis prudentibus patris monitis,
Ignotum cœtum in tempore manifestum fieri.
Quisque in iniquilinum linguam malam fert
Promptam, maledictaque proferre facile (*est.*)
Vos autem hortor me probro non afficere,
Florem hunc ætatis habentes expetendum a viris, (homines allicientem)
Tenera pubertas [fructus maturitati proximos] custodire haud facile est.
Bestiæ eam insidiantur et mortales,
Animantiaque alata et pedestria.
Fructus extreme maturos palam prædicat Venus.
Et immatura non pati sic manere dico,
Et in virginum pelicias pulchras
Unusquisque præteriens oculi amatorium
Radium conjicit cupidine victus.
Ad hæc ne patiamur ea quorum (*vitandorum*) gratia multus labor,
Multumque mare sorte nobis obtigit in nave,
Neque dedecus nobis, gaudium vero inimicis meis conficiamus.
Habitatio duplex adest,
Hanc quidem Pelasgus, hanc vero urbs dat,
Habitandam sine mercede: facilia quidem hæc.
Tantum observa mandata hæc patris,
Castitatem vitæ præferens.

CHO. In cæteris prospere nobis res cedant a Diis cælestibus:
Pubertatis autem meæ gratia bono animo esto, pater.
Si quid quid novi enim Diis statutum non sit,
Mentis vestigium prius non mutabo.

CHO. Agite quidem Principes, magnos
Deos celebrantes urbisque præsides,
Quique rivum Erasini
Antiquum incolitis.
Vosque comites robur [cantum nostrum] excipite.
Laus vero huic urbi Pelasgorum
Contingat, neque amplius Nili
Ostia celebremus hymnis:
Amnes vero qui per regionem (*hanc*)
Nutritium potum
Fundunt fœcunditatis authores,
Pinguibus effusionibus terræ.

Hoc solum emollientes.
Respiciat vero Diana casta
Cœtum commiserans: neque ex necessitate
Nuptiæ eveniant Cythereïæ:
Abominandum est hoc præmium: Venerem
Non negligit hic cantus benevolus:
Potens enim est Jovi proxime cum Junone.
Celebratur autem varia-consilia-habens
Dea ob opera grandia.
Sed matri (Veneri) caræ comites adsunt,
Nihil est quod recusari potest
Deos-domanti Suadæ: Harmoniæ data est
Sors Veneris. [Amorem Suada pellicit, Harmonia perfecit.]
Fallacesque sunt amorum viæ.
Fugitivos vero afflatus, malosque dolores,
Bellaque cruenta
Metuo. Cur enim (*alias*) secundam navigationem
Fecissent celeribus consectationibus?
SEN. Quod a fato decretum est, hoc fiet.
Jovis non vitanda est magna
Immensa mens: multis [*etiam aliis*]
Mulierum nuptiis
[*Talis*] exitus contingat.
SEN. Magnus Jupiter propulset
A me nuptias filiorum Ægypti.
SEN. Hoc optimum quidem sit:
Tu vero id optas quod consequi non potes.
SEN. Tu vero non nosti futurum.
SEN. Ad quid ego divinam mentem
Spectarem, aspectum fundo carentem?
SEN. Moderata nunc precare.
Quem modum me doces?
SEN. In res Deorum haud nimium inquirere.

STROPHE.

SEN. Jupiter Rex depellat
Nupias virorum infelices
Hostiles, qui Io
A dolore liberavit feliciter
Pæonia manu tractans.
Qui benevola vi genus nostrum condidit
Etiam robur det mulieribus.

Quod melius est mali,
Et quod utriusque fortunæ particeps laudo,
Et ut id quod justum est justa etiam sequi possint,
Precibus meis liberatoriis
Auxiliis Dei.

FINIS.

EXCUDEBAT W. BAXTER, OXON.


BOSTON COLLEGE
3 9031 01286420 3

